



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sponsalia Et Matrimonium

Schmalzgrueber, Franz

Ingolstadii, 1726

Titulus XV. De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coëundi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-75229](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-75229)

TITULUS XV.

De Frigidis, & Maleficiatis, & Impotentia coeundi.

SEquitur aliud Impedimentum Matrimonij, videlicet *Impotentia*, quæ Curiarum Ecclesiasticarum Præsidibus sæpe magnas creat molestias, cum illius ratio, etiam Medicorum auxilio, aliquoties vix deprehendi possit: ex quo non raro contingit, ut necesse sit retractare Sententias, qua-

cunque circumspectione super eadem latis, & Matrimonia, quæ prius ob existimationem Impotentia fuerunt dissoluta, iterum reunire, aut è contrario ea, quæ putabantur ob ignorantiam latentis Impotentia esse valida, hoc Impedimento detecto, dissolvere.

§. I.

De Impotentia Varietate, Causis, & obligatione illam tollendi.

S U M M A R I U M.

1. *Impotentia duplex acceptio.*
2. *Alia est Impotentia generandi, alia coeundi.*
3. *Et hæc vel Temporanea, vel perpetua.*
4. *Temporanea censetur etiam, quæ sine morbi gravi periculo tolli nequit.*
5. *Impotentia item alia est absoluta, alia respectiva.*
6. *Etiã respectiva potest esse perpetua.*
7. *Solvuntur Argumenta contraria.*
8. *Præterea Impotentia alia est Naturalis, alia Accidentalit.*
9. *Alia antecedens, alia superveniens Matrimonio.*

10. &c. *Quando presumatur supervenisse?*
14. 15. 16. *Quas causas habeat?*
17. 18. 19. *An, & quando detur obligatio tollendi Impotentiam, post Matrimonij contractum detectam?*
20. 21. 22. *An, & quomodo tolli licitè possit maleficium, quo unus, vel uterque conjux factus est impotens?*
23. &c. *An liceat tollere, vel destrare signa, ad quorum positionem maleficium inducitur, vel continuatur?*
28. 29. 30. *Quando liceat à malefico petere, ut maleficium tollat?*

Quæritur 1. Quid sit *Impotentia*, & quotuplex? *Impotentia* nomen dupliciter potest accipi. 1. Latè, & genericè, in qua acceptione sub *Impotentia* nomine venit quæcunque, & undecunque proveniens mariti, ac foeminae inhabilitas ad procreationem prolis, & speciei propagationem. 2. Presè, ac specificè, quo modo sumptum denotat eam duntaxat inhabilitatem, quæ provenit ex naturali defectu partium corporis genitalium, & propterea coitum, sive carnalem commixtionem maris cum foemina impedit. Sic accepta opponitur *Impotentia*, quæ nascitur ex Frigiditate, vel Maleficio; & propterea etiam Rubrica illam ab his distinguit.

Priori modo, sive genericè accepta *Impotentia* duplex est, una coeundi, altera generandi. *Impotentia coeundi* est vitium naturale, vel accidentale impediens maris, ac foeminae carnalem commixtionem, quæ fit per vas foeminae penetrationem, & seminis in id effusionem. *Impotentia generandi* verò est vitium naturale, vel accidentale, impediens, quò minus ex maris, & foeminae coitu, seu copula carnali perfecta sequatur generatio prolis; & speciei propagatio. Hæc posterior dari potest sine priore, prout fit in senibus, & natura sua, vel ex accidenti sterilibus, qui potentes esse ad copulam

R. P. Schmalzgrueber L. P.

perfectam possunt, licet ex ea ob ineptitudinem seminis prolem non suscipiant.

Quæritur 2. quotuplex sit *Impotentia coeundi*? *Impotentia* duplex est, alia perpetua, alia Temporanea. *Perpetua* dicitur, quæ per media licita, aut naturaliter aut omnino non, aut non nisi cum gravi vitæ periculo, vel damno salutis corporalis tolli potest. Pirh. hic n. 1. not. 2. Wiestner n. 6. *ibid.* Ex quo sequitur, adhuc perpetuam censendam esse *Impotentiam*, quæ solum tolli potest per miraculum, aut artem magicam, aut cum periculo, & damno salutis corporalis. *Temporanea* est, quæ sine tali periculo per naturalia, & licita media tolli potest, ut colligitur ex c. fraternitatis 6. h. tit. ibi: *Præter miraculum, per opus humanum, absque corporali periculo removeri potest: ubi nomine Operis humani DD. apud Barbof. in c. cit. n. 5. intelligunt non quodcunque, sed illud solum, quod est licitum, & honestum: nam illud solum facere posse dicimur, quod justè facere possumus can. faciat. 15. junct. Gloss. V. eod. caus. 22. q. 2.*

Dubium est, an perpetua censenda sit *Impotentia*, quæ tolli potest sine vitæ quidem, non tamen sine gravi morbi periculo? Affirmant Vega tom. 2. Summ. c. 34. cas. 111. & Henriq. l. 12. de Matr. c. 7. n. 6. nisi textu c. fraternitatis cit. V. corporali.

T t quu

quo præcipue quidem fatentur intelligi periculum vitæ, simul tamen ajunt non excludi periculum morbi gravis, cum etiam morbi gravis periculum inducat mortis periculum. *Sed melius tenetur negativa cum Zabarell. in c. cit. n. 5. v. nota casum, in fin. Sot. in 4. dist. 34. q. un. art. 2. col. 7. v. dubium autem, Barth. à Ledesm. de Matr. dub. 48. concl. 2. Sanch. l. 7. de Matr. D. 93. n. 18. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 1. n. 4. Wiestner hic n. 7. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 2. n. 81. & colligitur ex c. cit. v. per hæc autem prope finem, ubi Pontifex explicans, quid intelligat per corporale periculum, periculum illud vocat mortis periculum. Unde ad *Fundamentum adverse Sententiæ* dico non omnem morbum, etiam gravem, inducere discrimen vitæ; nam morbus gravis etiam is censetur, qui gravem molestiam, & dolorem affert, etsi cum mortis periculo non sit conjunctus.*

5 Quæritur 3. Quid sit Impotentia absoluta, quid respectiva? *Res. Absoluta* dicitur illa, quæ impedit commercium carnale cum omnibus diversi sexus personis. *Respectiva*, quæ copulam non absolute, sed tantum respectu unius, vel etiam plurium personarum sexus diversi impedit.

Dubium est, an Impotentia respectiva perpetua esse possit? *Negat S. Bonav. in 4. dist. 34. q. 2. art. 3. Innoc. in c. fraternitatis 6. h. tit. n. 1. Alex. de Nevo ibid. §. quamvis n. 17. Tabien. v. Impedimentum, Imped. 12. q. 5. n. 6. Armill. v. Matrimonium n. 50. Sot. dist. 35. cit. q. un. art. 2. col. 6. v. sed ais, Petr. de Ledesm. de Matr. q. 58. art. 2. dub. 5. Barth. à Ledesm. de Matr. dub. 48. fin. Llamas p. 3. method. Curat. c. 8. n. 13.* Et videtur sententia ista probari posse 1. quia ob Impotentiam perpetuam permittitur discessus conjugis à conjugè, ob Impotentiam respectivam autem non permittitur, ut patet ex *can. requisisti 2. caus. 33. q. 1.* ubi qui non potest conjugè sua uti pro uxore, jubetur habere eam quasi sororem: imò non obscure negatur, posse dari Impotentiam respectivam, dum Pontifex paulò post addit: *Si huic non potuit concordare naturaliter, i. e. commiseri, quomodo alteri conveniet?* cum naturalis frigiditas, aut maleficium, coitum impediens cum una, cum alia quoque sit impeditura, ut quidam volunt apud *Gloss. in can. cit. v. naturaliter. 2. c. laudabilem 5. & c. fraternitatis 6. h. tit.* redintegratum est Matrimonium conjugum, qui prius ob impotentiam coeundi, diuturno experimento probatam, separati fuerunt, ex ea solum causa, quòd deinde compertum fuerit, eos, qui respectivè impotentes fuerunt, potuisse coire cum alio, vel alia. atqui causa ista non suffecisset ad Matrimonium redintegrandum, si impotentia respectiva posset esse perpetua; quia cum hoc, quòd maritus potuerit coire

cum alia, adhuc stare potuit, quòd respectu illius, quam duxit, sit perpetuò impotens; ergo &c. 3. Impotentia respectiva oritur maximè vel ex improportione partium genitalium, vel ex maleficio; primum tolli arte medica potest, relaxando muliebrem angustiam, vel auferendo virilis membri improportionem; alterum exorcismis Ecclesiæ, aut à maleficij authore, vel alio.

Sed his non obstantibus, tenendum est tanquam certum, quòd Impotentia respectu certarum personarum possit esse perpetua. Ita *Gloss. in c. fraternitatis cit. v. simili, & v. debeat, Scot. in 4. dist. 34. q. un. col. pen. Paludan. q. 2. art. 2. concl. 2. n. 13. & concl. 3. n. 14. Valent. p. 4. D. 10. q. 5. p. 3. Philiac. de Offic. Sacerd. tom. 1. p. 2. l. 2. c. 10. Henriq. l. 12. de Matr. c. 7. n. 4. & 9. eod. n. 9. in comment. lit. P. & Lit. Q. Sanchez l. 7. de Matr. D. 93. n. 5. Gutier. de Matr. c. 113. à n. 1. Pont. l. 7. de Matr. c. 65. n. 6. Pirhing hic n. 24. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 2. n. 85. & seqq.* Ratio est, quia inter determinatas personas, virum, & foeminam, tanta potest improportio, & inæqualitas intervenire, ut neque per media naturalia, neque per supernaturalia possint ad copulam potentes effici, prout ostendit Paulus Zacharias Q. Q. *Medico-Legal. l. 3. tit. 1. q. 6. n. 2. & seqq.* hæc autem Impotentia est perpetua; ergo &c.

Neque aliud probant Argumenta opposita. *Ad 1. c. requisisti cit.* Pontifex loquitur de naturali frigiditate, quæ inducit impotentiam absolutam, apud *Sanch. n. 6.* observat. *Gloss. in can. cit. v. naturaliter, & ibi Turrecr. paulò post pr. v. requisisti. Ad 2. de eadem quæstio erat c. laudabilem cit.* In casu *c. fraternitatis cit.* Matrimonium prius restaurari jubetur, non absolute, sed tum solum, si mulier, quæ prætèxto Impotentia fuit separata à viro priori, & alio ei simili cognosci potuit: quod manifestè indicat, si ab alio ei simili cognosci non potuisset, licet potuisset cognosci ab alijs, matrimonium, dissolutum prætèxto Impotentia, non fuisse restaurandum, & conf. Impotentiam respectivam esse perpetuam. *Ad 3. experientiâ* compertum est, quòd naturalis improportio membrorum genitalium, & maleficium, quo respectivè impotentes efficiuntur conjuges, non semper tolli possit medijs licitis: si illicitis quidem tolli ab authore fascini, vel alio queant, cum, ut *n. 3.* dictum est, id dicamur solum nos facere posse, quòd facere honestè possumus, adhuc manebit perpetua Impotentia; & conf. Impotentia respectiva perpetua esse potest.

Quæritur 4. Quænam sint aliæ Divisiones impotentia? *Res. præter hæcenus allatas, duas potissimum ab Authore solere afferri. Nam 1. dividitur Impotentia in Naturalem, & Accidentalem. Naturalis est, quæ oritur ex defectu naturali, ac ho-*

homini quasi coeva, & connata est, veluti si quis nascatur sine partibus ad copulam requisitis, aut partes illas quidem habeat, sed male conformatas. *Accidentalis*, quæ oritur ex quodam accidenti: quod dupliciter fieri potest; nam aliquando Impotentia oritur ex causa accidentali *intrinsicâ*, qualis est humorum intemperantia, seu excessus in calore, frigore, siccitate, humiditate. Aliquando verò ab *Extrinsicâ*, puta vitio aëris, maleficio, morbo, &c. *Naturalis Impotentia*, ut Paul. Zacch. *qq. Medico-Legal. l. 3. tit. 1. q. 5. n. 37.* notat, ut plurimum est perpetua, & insanabilis; *Accidentalis* verò non semper est absque remedio, sed tunc solum, cum ex maximis, & validissimis causis ortum habuerit, & diu jam perduraverit, quales sunt longi, & difficiles morbi, valida capitis, cervicis, vel spinæ percussio, larga sanguinis effusio, & ultra vires facta &c. Ita cit. *Author.*

Secundo dividitur in Impotentiam antecedentem, & supervenientem. *Antecedens* est, quæ Matrimonium jam contractum antecessit. *Superveniens*, quæ Matrimonio jam contracto supervenit.

Dubium est, quid præsumendum sit, quando dubitatur, an Impotentia Matrimonium antecesserit, vel subsecuta sit ejus contractum? Host. in *c. fraternitatis 6. h. tit. n. 4. Abb. ibid. n. 16. Sylv. V. Matrimonium 8. q. 16. dicit 9. Gaëta in can. ad limina 30. q. 1. §. 4. q. 237. n. 542. Henrig. l. 12. de Matr. c. 8. n. 3. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 3. fin. Pirhing. hic n. 22. Engl. ibid. n. 10.* volunt præsumendum eo casu, quod præcesserit. *Fundantur* 1. textu *c. fin. h. tit.* ubi probato maleficio, & præsumpto, quod perpetuum sit, per triennalem experientiam, separatum est Matrimonium, nec quæstio mota, an hoc maleficium Matrimonij contractum præcesserit, an verò sit subsecutum: quod tamen fieri debuisset, si Impedimentum in dubio non præsumeretur præcessisse. 2. Ex præsentis sit præsumptio circa præteritum; quia res præsumitur nunc esse, qualis antea fuit, nisi probetur facta mutatio; ergo cum de præsentis constat de Impotentia, præsumitur præcessisse contractum Matrimonij, nisi probetur, quod supervenerit. 3. Si præsumeretur supervenisse contractui, id præsumeretur ideo, quia ex Regula generali in dubio favendum est valori Matrimonij; atqui hæc Regula in casu præsentis non procedit; nam procedit tunc solum, quando Matrimonium potest consequi finem suum, nempe bonum prolis, aut fornicationis vitiationem: quod minimè contingit, ubi conjux est impotens; ergo &c.

Contra Ant. de Butrio in *c. cit. n. 20.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 14. §. 7. n. 5.* existimant præsumendum eo casu, quod non præcesserit. Quorum sententiam cum Sanchez. *l. 7. de Matrim. D. 103. n. 4. §. 5.* & alij R. P. Schmalzgrueber *L. IV.*

limitant P. König *hic n. 13.* & Magnif. P. Schmier *p. 3. de Matrim. c. 2. n. 93.* ex quorum doctrina Impotentia naturalis præsumitur præcessisse; quia qualitas, quæ à natura inest, semper inesse præsumitur: accidentalis verò subsecuta; quia cum natura producat potentem, quilibet supponitur potens, & asserenti, quod quis aliquando impotens fuerit, incumbit onus probandi, utpote cui adversatur præsumptio, à natura ipsa descendens. *Excipit* Sanchez, *l. cit. n. 6.* nisi breve tempus à Matrimonio contracto usque ad consummationis attentionem transisset, ut communiter accidit; tunc enim fatetur, etiam Accidentalem Impotentiam potius præsumendum præcessisse contractum Matrimonij, cum præsumi non debeat eam impotentiam tam brevi tempore accidisse. Sed cum etiam naturale vitium cum tempore supervenire post Matrimonij contractum possit, idcirco

Tertia Sententia cum P. Wiefner *hic n. 30.* considerat, an ejusmodi dubium statim ortum sit post contractum Matrimonij, & illius attentatam consummationem, an verò primùm ex intervallo temporis, præsertim notabilis duorum, vel plurium annorum. *Si primum*, cum Authoribus primæ Sententiæ præsumitur Impotentia præcessisse contractum, maximè si orta sit ex vitio naturali, & non merè accidentali e. g. maleficio, aut mutilatione, quam supra ex Sanchez attuli; quia à potentia, quam homo à natura habet, ad impotentiam adeo brevi tempore non præsumitur transisse. *Si secundum*, præsumi debet supervenisse Matrimonio jam contracto, ex Regula generali; quia quilibet nasci præsumitur cum ijs qualitatibus, quæ à natura debentur homini, nisi probetur contrarium: incumbit ergo onus probandi asserenti, quod hoc casu Impotentia præcesserit Matrimonium.

Neque obstat, quod hoc modo periculum sit, ne quis accedat ad non suam, si scilicet Impotentia antecessit contractum Matrimonij; nam simile etiam periculum est, si præsumatur impotentia Matrimonium præcessisse, & propterea dissoluto Matrimonio, is, qui potens est, contrahat alias nuptias cum alia; posito enim, quod Impotentia primùm supervenerit Matrimonio, ad secundam accedens committit adulterium, saltem materiale. Cum igitur in quavis sententia periculum aliquale sit, ne quis ad non suam accedat, videndum, quanam ex his majori præsumptione juvetur. Ea, quæ dicit præsumendum esse, quod Impotentia contractum præcesserit, unica hac præsumptione juvatur, quod non probetur mutatio; altera, quæ affirmat præsumendum supervenisse, nititur silentio alterius conjugis, qui cum Impotentiam intra tam diuturnum tempus non adverterit, præsumitur agnovisse potentiam: unde necesse erit, ut hanc

T t 2

præ-

præsumptionem probationibus positivis elidat.

13 Minus obstant Argumenta n. 9. allata. *Ad 1.* in textu cit. tantum quaesitum fuit, quando præsumatur Maleficium perpetuum, ut propter illud Matrimonium subsequens dirimatur: & respondet Pontifex, tunc præsumi perpetuum esse, quando intra triennium cohabitationis non cessat. Supponebatur autem ibi Maleficium præcessisse; quia circa hoc non verfabatur dubium: & ideo de eo etiam mentio facta non est. *Ad 2.* Fateor, ex præsentī aliquando præsumi præteritum: in nostro autem casu tenenda est distinctio n. 11. allata ob datas ibidem rationes. *Ad 3.* Quando supervenisse præsumitur Impotentia, ita præsumitur, non ob favorem Matrimonij præcisè, sed quia conjux alter de impotentia tanto tempore non provocavit, quam intra hoc tempus advertere potuisset, & debuisset, si adfuisset initio statim contractus.

14 Quaritur 5. Quas causas habeat Impotentia? *1.* Tam Impotentia generandi, quam coeundi plures potest habere causas. Et prior quidem 1. aliquando se tenet ex parte maris ob excessum caloris, frigoris, vel alterius qualitatis prædominantis. 2. Aliquando ex parte femine ob eandem, vel aliam causam. 3. Non rarè ex parte utriusque ob disconvenientiam temperamentorum, vel eorundem nimiam convenientiam, ut si uterque calidissimi sit temperamenti, aut contrà vir calidissimi, mulier frigidissimi. 4. Sæpe id provenit à causa aliqua extrinseca, ex maleficio, medicamentis, cibis &c. femina nimium alterantibus: de quibus latè Paul. Zacch. qq. Medico-Leg. l. 3. tit. 1. q. 1. à n. 23.

15 Impotentia coeundi, seu ad copulam secundum dicta n. 3. alia est Temporanea, alia Perpetua. Temporanea causa frequentissima est defectus ætatis, ad copulam nondum aptæ, vel non ampliùs aptæ, ut in impuberibus, & nimium decrepitis. Perpetua alia est absoluta, alia respectiva. Absoluta oritur maximè 1. ex temperamento ipsius maris vel nimis frigido, vel nimis calido, quo fit, ut vel omnino seminare non possit ob defectum spirituum ad copulam, & seminationem excitantium, vel nimis properè expellat semen, illud effundendo, antequam vas famineum penetret. 2. Ex defectu partium genitalium ejusdem maris, quod careat semine, aut testibus, vel quod semen quidem, & testes habeat, sed illud spurium, & hos ineptos, vel si in neutro sit defectus, ob partium malam conformationem illud in vas debitum non possit immittere. 3. Ex arctitudine faminæ, ob quam non possit semen intra vas recipere. 4. Ex maleficio, quo mas, aut famina, aut uterque, auxilio præsertim Dæmonis, ad coitum inhabilis redditur. 5. Ex medicamentorum,

ciborum, & exercitorum certorum usu, interperie aëris, morbo, & alijs causis extrinsecis. Sanch. l. 7. D. 94. n. 2. Zacch. qq. 1. cit. à n. 10. Pishing hic n. 1. Wiestner ibid. n. 4.

Iisdem ferè ex causis oritur Impotentia respectiva, cum hoc solum discrimine, quod Absoluta quidem Impotentia consummationem perfectam Matrimonij impediatur respectu omnium alterius sexus personarum, respectiva verò unius tantum, vel plurium. Frequentissimè verò Impotentia respectiva oritur 1. ex maleficio, impediendo commixtionem carnalem viri cum una tantum, vel certis quibusdam faminis, aut vicissim faminæ cum uno, vel certis aliquot viris. 2. Ex partium genitalium maris, & faminæ disconvenientia, quæ id efficiat, ut licet ille cum alia muliere, ista cum alio viro congressi valeat, inter se tamen ob defectum proportionis inter partes verè copulari nequeant. 3. Ex alia non congrua dispositione corporum, vel animi passionum, ex odij, vel etiam amoris vehementia &c. de quibus V. Paul. Zacch. q. 6. n. 1. & seqq.

Quaritur 6. An, & quando detur obligatio tollendi Impotentiam, post Matrimonij contractum detectam? *1.* Distinguen-do inter diversa media, quibus Impotentia hæc tolli potest: Vel enim tolli illa potest tantum per media, quæ mortis, aut morbi gravissimi periculum afferre judicantur, vel tolli potest per alia media, quæ simile periculum sibi conjunctum non habent. Si primum, neuter conjugum ad tollendam impotentiam obligatur cum tali periculo, ut de mortis periculo concedunt omnes; de periculo gravissimæ infirmitatis docent Sanch. l. 7. de Matr. D. 93. n. 52. Gutier. de Matr. c. 112. n. 31. Barbof. in c. 6. b. tit. n. 13. Perez D. 37. sect. 7. n. 3. Wiestner hic n. 12. Reiffentuel ibid. n. 67. Ratio est, quia ad hujusmodi remedia admittenda neuter se obligavit, nec conjugij lege obligatur, ut luculenter patet ex eo, quia etiam divortium permittitur casu, quo ex cohabitatione imminet periculum salutis corporalis. Si secundum, obligatur conjux impotens per ejusmodi media tollere impotentiam, ut bene advertunt Sanch. n. 32. cit. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 1. n. 9. Perez n. 3. Barbof. n. 13. Wiestner n. 11. Reiffentuel n. 7. & 66. Ratio est, quia id poscit mutuum jus copulæ, quod per matrimonialem contractum in se invicem transfulerunt. Proceditque hoc, etsi media illa conjuncta sint cum gravi dolore, ac molestia, modò mortis, aut infirmitatis hujusmodi periculum absit. Sanch. Barbof. Reiff. h. cit.

Ex quo sequitur, quid dicendum sit ad casum, quo famina nupta ita arcta est, ut cognosci à viro nequeat? Respondendum scilicet est cum distinctione: vel enim Medicorum judicio per incisionem absque mor-

mortis, & gravissimæ infirmitatis periculo ad carnale commercium idonea viro reddi potest, vel contra id fieri eorundem iudicio nequit absque eo periculo. *Si primum*, permittere illa scissuram debet, ut alijs allegatis verisimilius docent Sanch. n. 32. Guier n. 31. Perez n. 6. & 7. Wiestner n. 13. Reiffenstuel n. 66. Ratio est, quia cum talis Impotentia juxta Definitionem n. 3. data non sit Perpetua, Matrimonium, inter ejusmodi conjuges contractum, est validum: & cons. uterque obligatur ad exhibendos alteri actus conjugales. ergo obligabitur etiam ad tollendum impedimentum, quo impeditur ab eorum exhibitione præstanda; nam qui ad exhibendum aliquod obsequium obligatur alteri, obligatur etiam ad ejus requisita ponenda, & impedimenta, cum potest, tollenda. *Neque obstat*, quod ponatur Impotentia tolli non posse, nisi cum gravi dolore, & molestia; modò enim adhibitio talis medijs non causet periculum mortis, vel gravissimæ alterius infirmitatis, ad hoc etiam adhibendum obligare videtur lex conjugij, cum dolori istiusmodi, vel molestiæ multum præponderent mala, quæ per adhibitionem illius vitari possunt; præterquam enim, quòd negligendo ejusmodi medium admittitur spes procreandæ prolis, cum debeant hujusmodi conjuges sibi convivere, utpote Matrimonio, ut dixi, valido, gravissimum foret periculum incontinentiæ, & pollutionum.

Si secundum contingat, & arctitudo Medicorum iudicio tolli incisione sine mortis, aut gravissimæ infirmitatis periculo nequeat, non tenetur conjux illam admittere, ut DD. *citt.* notant, ex ratione n. 17. allata; quia scilicet non videtur mulier cum tanto periculo obligari ad debitum conjugale, ex qua obligatione confurgere debet jus viri ad cogendam fæminam, ut patiat hujusmodi incisionem. Eadem distinctio adhibenda est, quando fæmina non est arcta, sed congressui virili obstat solum naturale virgineum signaculum; nam si hoc referari absque hujusmodi periculo nequeat per scissuram, ex omnium sententia istam pati non obligatur: pati verò eandem verisimilius tenetur, si scissura sine tali periculo, quamvis cum gravi dolore, vel molestia fieri possit, ut cum alijs à se *citt.* docet Sanch. n. 34. contra Petr. de Ledesma de Matr. q. 58. art. 1. col. penult. *Neque obstat*, quòd hoc casu defectus confurgat ex parte viri; quia cum vir culpâ vacet, & naturali illi imbecillitati suæ mederi nequeat, quærendum est remedium ex parte fæminæ, ut ipsi viro aptetur.

Quæritur 7. An, & quomodo tolli licitè possit maleficium, quo unus, vel uterque conjux factus est impotens? *Certum est 1.* Eo casu præ omnibus suadendum esse usum remediorum spiritualium, & supernaturalium, quippe quæ ad ejusmodi præstigijs tollendas a DEO specialiter insti-

tuta, & ordinata sunt: quales sunt oratio, invocatio SS. Trinitatis, Nominis JESU, & B. V. jejunia, & alia mortificationis, vel misericordiæ opera, usus Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, Signi Crucis, SS. Reliquiarum, aqua, panis, vel sal benedictus, Exorcismi Ecclesiæ &c.

Certum est 2. Impotentiam, & aliud quodcumque nocumentum, ex maleficio ortum, tolli non posse licitè alio, & potentiori maleficio, ut certa, & ab omnibus recepta est doctrina S. Thom. in 4. dist. 34. q. un. art. 3. ad 3. & ratio est, quia omne maleficium est intrinsecè malum, neque honestari potest utilitate, vel etiam bonitate effectûs, cum non sint facienda mala, ut inde eveniant bona juxta Apostolum Rom. 3. v. 8. *Proceditque hoc*, etiam maleficus paratus sit maleficio tali maleficium solvere: nam adhuc ab eo peti non potest talis solutio; quia peteretur ab ipso, quòd licitè non potest præstare, Sanch. l. 7. de Matr. D. 95. n. 7.

Certum est 3. Casu, quo pactum cum Dæmone non solum simplex, sed duplex est, ita, ut vi illius Dæmon non solum signo posito, & durante, conservare impotentiam, vel aliud nocumentum debeat, sed etiam illo remoto, ejusmodi malum tollere, & potentiam, sanitatem &c. restituere, ac procurare teneatur, non esse licitum, signum ejusmodi tali intentione tollere, ut Dæmon ex pacto malum auferat, & potentiam, sanitatem &c. procuret, ac restituat. Delrio l. 6. *Disquis. Mag. c. 2. sect. 1. q. 3. pag. 5. not. 3.* Sanch. l. 7. de Matr. D. 96. n. 1. Perez D. 37. sect. 2. n. 4. Gonzal. in c. 5. b. tit. n. 13. Wiestner n. 16. *fin.* Ratio est, quia ablatio signi, tali intentione facta, esset approbatio, confirmatio, & usus pacti, cum Dæmone initi, ejusque virtute speraretur recuperatio potentiæ, sanitatis &c. quòd intrinsecè malum est.

Controversia major, est, an sine ullius maleficij, vel pactionis hujusmodi interventu, liceat destruere, vel removere, vel petere à malefico, ut destruat, vel removeat signum, ad cujus positionem Dæmon ex pacto impotentiam, vel nocumentum aliud debebat inducere, & conservare? Negant aliqui apud Delrio l. cit. q. 3. pr. *Moven-tur 1.* Exemplo S. Hilarionis, qui non est passus investigari, & removeri signa, quibus ablatis, Dæmon passus est, se exiturum à puella per ipsum inesset, ut in *ejusdem Vita* narrat S. Hieronymus: & subdit S. D. ad hoc S. Hilarionem ea ductum fuisse ratione, ne aut solitis incantationibus Dæmon recessisse videretur, aut ipse sermoni ejus accommodasse fidem. *2.* Quia ejusmodi signi destructio est quoddam signum Dæmoni datum ad restituendam potentiam, vel sanitatem, vel ad eam non amplius impediendam, atqui signis à Dæmone datis ad potentiæ, vel sanitatis recuperationem uti non

T t 3

licet;

licet; quia hoc intrinsecè, & ita malum est, ut nullo, quantumcunque honesto fine, cohonestari valeat. 3. Quia qui signum ejusmodi removet ad tollendum maleficium, utitur scientiâ à Dæmone accepta ex pacto, quod Dæmon inijt cum malefico; nam seclusa hac pacto, maleficius scire non posset, quod signo illo remoto, cessaturum sit maleficium. atqui usus scientiæ ita acceptæ ad mali propulsationem, & sanitatis recuperationem illicitus est, ergo &c. 4. Sicut se habet signi positio ad tollendam potentiam, ita se habet ejus destructio, vel remotio ad eam recuperandam; nam utraque est adinventio, & effectus Dæmonis. sed signi positio illicita est, non tantum, quia noxia est, sed etiam, quia præstigiosa, ergo talis etiam erit signi remotio. 5. Si remove, aut destruere liceret signa, quibus positus, maleficium induxit Dæmon, uti etiam liceret signis, ac remedijs alijs, quibus positus, scitur quod à nocumento ipse sit cessaturus, neque enim apparet ratio, quare unum sit licitum, illicitum alterum. atqui secundum non licet; quia habet pactum cum Dæmone saltem implicitum ergo nec primum licebit.

24 Sed dicendum, non esse illicitum destruere, vel remove signa, aut petere à malefico, vel alio, ut hujusmodi signa destruat, vel removeat, si hoc fiat sine novo pacto, & animo præcisè destruendi prius cum Dæmone initum, ut ita ijs signis sublati, tollatur maleficium, quod ijs positus, est inductum, & perseverat. Ita Scot, in 4. dist. 34. q. un. Cajet. Opusc. tom. 2. tr. 12. de maleficio. q. un. & in Summ. V. maleficium. Sylvest. V. eod. q. 7. Rosell. V. Impedimentum imped. 15. n. 18. 19. Sot, dist. cit. q. un. art. 4. Navar. Man. c. 11. n. 29. Castro l. 1. de Heret. punit. c. 15. Delrio q. 3. cit. Less. l. 2. de J. & Just. c. 44. n. 36. Suar. l. 2. de Superstit. c. 17. à n. 9. Sanch. l. 7. de Matr. D. 96. n. 3. Gutier. c. 113. de Matr. n. 10. Perez D. 37. sect. 8. à n. 5. Palao tr. 17. D. 1. p. 11. n. 3. Gonzal. in c. 5. b. tit. n. 13. Zœf. bic n. 12. Wiestner ibid. n. 21, & alij RR.

25 Ostenditur: Si talis signi remotio, vel destructio inhonesta, & illicita foret, hoc ideo foret, quia videretur esse usus, & participatio quædam magicæ artis, & Dæmonis tacita invocatio. atqui talis non est remotio, & destructio, quæ in Controversiæ præsentis casu ponitur; nam si talis esset, esset vel ex natura sua, vel ex fine, & intentione removentis, ac destruentis, vel ex antecedente pacto, vel ratione effectus, vel denique ratione credulitatis, quod signo sublato, cessaturum sit maleficium. ex nullo istorum capitum talis est. Non ex primo; quia remotio, & destructio signi magici ex natura sua est actio omnino indifferens. Non ex secundo; quia signum hoc removens Dæmonem non tam invocare, quam invocationem

illius, per maleficium, sive signi positionem factam, ejus remotione, vel destructione dissolvere, & impedire intendit. Non ex tertio; quia signum removens, vel destruens tali casu se habet, sicut is, qui sciens à Civitatis proditore ex pacto, cum hostibus facto, positum iisdem esse signum ad urbem certo loco, & tempore occupandam, illud tollit, vel destruit, atqui iste non censetur colludere, aut pacisci cum hostibus, sed potius adversari, & impedire collusionem. ergo nec is, qui signum magicum tollit, vel destruit, censeri debet consentire in pactum, cum Dæmone initum à malefico. Non ex quarto; quia Impotentia, vel alterius nocumenti cessatio ex se bona, & removenti, vel destruenti debita est. Non denique ex quinto capite; quia id credere ullo Jure non prohibetur, cum ex usu, & experientia verisimile sit, Dæmonem, qui manente signo ratione pacti cum malefico iniri obligatus erat ad nocendum, eo abalto, atque ita dissoluto pacto, à nocumento cessaturum.

Conf. 1. Si signi magici remotio, vel destructio superstitiosa, & conf. illicita foret, opus esset, ut restitutio potentia, vel alterius mali ablatio ex novo aliquo pacto procederet, vi cujus teneretur Dæmon aliquid agere, & operari. atqui non procedit ex novo aliquo tali pacto, sed ex mera pacti prius iniri dissolutione, nec Dæmon tali casu aliquid operari, vel agere cogitur, sed tantum definit agere, vel operari. ergo &c. 2. Fas est expectare fugam Dæmonis ab Energumeno ad Exorcismos Ecclesiæ, vel cessationem tentationis ad signum Crucis formatum, igitur etiam fas erit expectare effectum Dæmonis privativum potentia, vel sanitatis ad destructionem, vel remotionem signi, quo inducta est impotentia, vel aliud maleficium; in neutro enim casu expectatur effectus ille vi alicujus pacti conventi cum Dæmone, sed potius ex solutione pacti, & amicitia cum illo. 3. Si maleficus in externo, vel interno Pœnitenti foro confiteretur maleficium, illatum alteri per signi magici positionem, uterque Judex compelleret, imò deberet illum compellere ad signi remotionem, ad hoc autem compelli non posset, si ejusmodi signi remotio contineret etiam tacitam invocationem Dæmonis, & conf. superstitiosa esset. ergo &c.

Ex his sequitur Argumentorum adversæ opinionis solutio. Ad 1. S. Hilarion Diabolicæ pactiois signa perquiri, & investigari vetuit; tum ad vitandum præsentis, & rudis populi scandalum, qui credidisset Dæmonem à puella expulsum magicis incantationibus; tum verò quia existimavit fore ad majorem Divini Numinis gloriam, & fidelium in fide, & fiducia in DEUM confirmationem, si miraculo, & virtute Divina potius, quam alio etiam licito medio à mali-

gni Spiritus vexatione puellam liberaret. *Ad 2.* Signi ablatio novum à Dæmone signum foret, si eo ablato teneretur Dæmon ex pacto restituere sanitatem, vel potentiam maleficio ablatam: quod non fit in nostro casu; quia per signi ablationem tantum rescinditur pactum, quo stante tenebatur Dæmon nocere, non verò iniri novum, vi cuius obligaretur potentiam, vel sanitatem restituendo prodesse. *Ad 3.* Signum tollens non à Dæmone, sed ab ijs, quibus hoc manifestavit maleficus, didicit, quòd signo ablato, maleficus sit cessaturus: & esto, didicisset ab ipso Dæmone, discendo quidem peccasset graviter, accepta tamen notitia, ad signi magici destructionem licite uteretur, eo profus modo, quo artem aliquam licitam doctus à Dæmone, eam sic procurando quidem graviter deliquit, non autem vetatur artem sic adeptam exercere. *Ad 4.* Lata est disparitas inter positionem signi, & ejus ablationem: nam illa ex pactione procedit; non autem ista: ad illam Dæmon aliquid agit, & operatur; ad hanc agere, & operari definit præcisè ideo, quia ad agendum, & operandum vi pacti solum obligatur tamdiu, quamdiu signum in loco positum intactum permanet. *Ad 5.* Sequelam concedunt Sanch. l. 2. mor. c. 41. n. 25. Less. l. cit. n. 45. Suar. n. 16. Palao n. 10. Perez n. 6. Wiestner n. 24. Rationem dant, quia licitum est aliquid ex se bonum, vel omnino indifferens facere, quo factò dissolvatur pactum, à malefico cum Dæmone initum, & cesset maleficus, cum id non signum novæ pactionis, sed prius initæ detestatio, & aversio sit. Sic ex communi sententia percutientem Veneticam licet repercutere, ne Dæmon ad percussorem veneticæ, tanquam signum sibi datum, nocere percussio possit.

Quæritur 8. Quando liceat à malefico petere, ut tollat maleficus? R. hic distinguendum esse inter tres casus. Nam 1. Si constet, quòd maleficus nesciat solvere absque novo maleficio, non licet à talis malefico petere solutionem maleficij; quia petitur res, quam ipse licite præstare nequit. Sanch. l. 7. de Matr. D. 95. n. 8. Idque verum est, etsi maleficus paratus sit ad maleficij maleficia solvenda, ut contra Aureolum in 4. dist. 34. q. 2. & Angel. V. superstitio n. 13. melius cum Turrecr. Rosell. Sylvestr. Armill. Navar. Covar. & alijs docet Sanch. l. cit. n. 7. Rationem dant, quia tum solum à parato petere solutionem maleficij licet, quando is licite hoc potest præstare, & petentis interest, ut necessitati suæ consulat; tunc enim non est petere peccatum, nec cooperari peccato alterius, sed uti istius peccato, quod non ipsi petenti, sed malefico ascribendum est, cum ille ab isto petierit, quod ipse licite præstare potuit, prout contingit in petente mutuum ab usurario, & Juramentum ab infideli, atqui maleficus non potest licite maleficus maleficio solvere ob

nullum bonum, cum solutio talis intrinsecè mala sit, & ponitur, quòd alium modum sine maleficio maleficus solvendi nesciat. ergo &c. *Conf.* Quia in SS. Litteris *Levit. 19. & 20.* gravissimè condemnantur confugientes ad magos, & ariolos, cum tamen semper hos esse paratos constet.

2. Si maleficus plura media ad solvendum maleficus, nōisset quædam licita, & quædam illicita, integrum est ab eo petere absolute, ut maleficus solvat, quamvis constet petenti, fore, ut medio illicito utatur. Ita contra Cajet. tom. 2. Opusc. tr. 12. de malef. q. un. in fin. Corp. & Delrio *Disq. Mag. l. 6. c. 2. sect. 1. q. 2. pag. 8. dist. 4.* probabilius docent Petr. de Ledem. de Matr. q. 58. art. 2. dub. 2. Sanch. D. 95. cit. c. 12. & alij. Ratio est, quia omnes fatentur, licitum esse petere ab Usurario mutuum, & ab Infideli Juramentum, quando petens eis indiget, licet exploratum petenti sit, fore, ut ille sub usuris mutuet, & hic juret per Deos falsos; nec alia datur ratio, nisi quòd utrumque fieri possit modo licito. atqui hæc ratio militat etiam in casu nostro; nam petitur à malefico solutio maleficij, quam potest medio licito facere, scilicet auferendo signum, igitur solutio ejus ab ipso peti poterit, & si id alio maleficio faciat, id ipsi, non petenti est tribuendum. Duo tamen l. cit. monet Sanchez. Unum est, non esse licitum admittere medicinam aliquam vanam, & superstitiosam, si eam maleficus applicare velit; quia consentiens in applicationem talis medicinæ, jam non uteretur tantum peccato alterius, sed ipsa tali medicina, cujus usus, cum nullam vim sanandi, nisi ope, & invocatione Dæmonis habeat, intrinsecè malus est. Alterum, quando spes est, fore, ut proficiat monitio, teneri petentem ex lege Charitatis illum monere, ut medio licito faciat: quod idem fatendum est de petente mutuum ab Usurario, & Juramentum ab Infideli.

3. Si dubium sit, an maleficus medius aliquod maleficus solvendi licitum nōrit, nullatenus licet solutionem maleficij ab eo petere. Delrio *sect. 1. cit. q. 1. pag. pen.* Sanch. n. 13. quia præsumptio est contra ipsum, ex eo maxime capite, quòd malefici frequentius sola media superstitiosa nōrint. Hinc idem Sanchez cum cit. Delrio ad vincendum hoc dubium consultit, quærendum esse à malefico, quæ media nōrit: si renuat explicare, ait vehementissimam esse suspicionem contra illum; si autem explicet, tunc videndum est, an medium sit licitum, vel illicitum secundum hæcenus dicta. Ex quo cum eodem Delrio Sanch. n. 14. infert, ab eo malefico, qui author maleficij illius non fuit, rarissimè licere petere medelam maleficij, nisi de loco, & modo maleficij ab ipso authore, vel ab alio certior factus sit; quia talis moraliter nescit mederi sine alio maleficio, & nova Dæmonis cooperatione.

De Impotentia Matrimonium dirimente.

S U M M A R I U M.

31. Qualis Impotentia dirimat Matrimonium?
32. An illud contrahere possint Eunuuchi, & Spadones?
33. Senes decrepiti?
34. Steriles?
35. Mulier, quæ non potest parere sine periculo vite, vel non nisi fetum mortuum.
36. Constitutus in articulo mortis?
37. Vel non potens seminare intra vas, vel susceptum semen retinere?
38. Impotentia temporanea non dirimit Matrimonium.
39. Dirimit perpetua, tam respectiva.
40. Quam absoluta.
41. Quacunque ex causa illa sit orta.
42. Sive cognita contrahentibus fuerit, sive non.
43. Nec convalescit Matrimonium sine novo consensu, etiamsi per miraculum.
44. Aut per sectionem cum periculo vite Impotentia tollatur.
45. Impotentia perpetua superveniens Matrimonio, non tollit Matrimonium consummatum.
46. 47. Imò nec ratum.
48. Sc. An huiusmodi conjugibus licitus sit Matrimonij usus?
49. Sc. An validum sit Matrimonium initum ab Hermaphrodito?
50. Sc. Utrum, qui dubitat, sitne potens, vel impotens, licet contrahere Matrimonium possit?
51. Sc. An Matrimonium contrahens cum Impotente obligetur ad cohabitationem, & exhibenda obsequia conjugalia, quæ potest?
52. Sc. An vita socialis inita inter impotentes esse possit verum Matrimonium?
53. Sc. Quo Jure Impotentia perpetua dirimat Matrimonium?

QUæritur 1. Qualis Impotentia dirimat Matrimonium? R. Sola Impotentia ad copulam dirimit Matrimonium, non verò Impotentia ad generationem. Sumitur ex c. quod sedem 2. h. tit. & docent S. Thom. in 4. dist. 34. q. un. art. 2. Petr. Barbof. in l. 1. ff. solut. Matr. p. 1. n. 98. Sanch. l. 7. de Matr. D. 92. per tot. Schambog. hic n. 3. Wiestner ibid. n. 25. Ratio est, quia impotentia ad copulam impedit, quò minus vir, & mulier fiant inter se una caro.

Ex quo sequitur 1. Quid dicendum de Matrimonio Eunuchorum, & Spadonum; nam distinguendum inter hos est: & quidem si altero duntaxat testiculo privati sint, & virilia sana, atque integra habeant, indubitato Matrimonium contrahunt validè, ut cum comuni sententia probat Sanch. D. 92. cit. n. 14. Gutier. c. 112. de Matr. n. 11. Barbof. in c. 2. h. tit. n. 4. König hic n. 7. Reiffenstuel ibid. n. 21. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matrim. c. 2. n. 116. Ratio est, quia, ut Medici cum Zacch. qq. Medico Legal. l. 3. tit. 1. q. 9. n. 4. & seqq. ostendunt, Spadones sunt potentes ad coeundum, & generandum, eò quòd vis, & virtus, aliàs in duobus testibus sita, uniatur in uno. At si utroque testiculo vel à natura, vel ex castratione careant, non possunt validè contrahere Matrimonium, ut notat Sanch. l. cit. n. 17. Conink D. 31. n. 76. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 3. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 2. n. 1. Gonzal. in c. 5. h. tit. n. 5. Vallens. hic n. 2. Engl. n. 2. Pirhing n. 3. cum supra allegatis, & teste Sanchez declaravit Sixtus V. Motu proprio edito 1587. Ratio est, quia non possunt emittere verum

semen, licet fortè vas naturale mulieris possint perrumpere: conf. habent Impotentiam absolutam coeundi. Accedit, quia isti nec fini secundario Matrimonij, qui est remedium concupiscentiæ, possunt satisfacere; nam istud haberi debet non per quamcunque copulam, sed per eam, quæ ex natura sua sit apta ad generationem proli. Quodsi tamen post contractum Matrimonium aliquis Eunuachus factus sit, copulam imperfectam cum missione non veri seminis exercere non prohibetur, ut docet Tolet. l. 7. Summ. c. 16. n. 4. Sanch. l. 7. de Matr. D. 102. n. 6. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 3. quia licet tales Matrimonium contrahere nequeant, uti tamen contracto eisdem licet, quatenus id fieri potest.

Sequitur 2. Quid dicendum de Matrimonio senum decrepitorum; nam si ita decrepiti, & exhausti sint, ut sint impotentes ad copulam habendam, nec iudicio Medicorum ulla arte juvari possint, incapaces sunt Matrimonij; & conf. invalidè illud contrahunt. Gloss. in l. sed est questum 6. v. nec etas ff. de Liber. & posthum. Host. in c. 2. h. tit. fin. Alex. de Nevo ibid. n. 4. Sylv. v. Matrimonium 8. q. 16. dist. 3. Gutier. l. 1. qq. Can. c. 16. n. 19. Sanch. l. 7. de Matr. D. 92. n. 24. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 7. Barbof. in c. 2. h. tit. n. 6. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 2. n. 5. & receptissima DD. sententia. At si non sint ita exhausti, sed semen verum adhuc possunt emittere, etiam decrepiti Matrimonium inire possunt, prout sumitur ex can. nuptiarum 41. caus. 27. q. 1. l. sancimus 27. c. de Nupt. & habet usus Ecclesie, quo passim admittuntur senes ad contrahenda Matrimo-

Matrimonia in quacunque ætate: unde Leges Julia, & Papia, quibus viri sexagenarij, & feminae quinquagenariæ à conjugijs arcebantur, censeri debent fuisse correctæ. Sanch. D. 92. cit. n. 19. & seqq. Gutier. c. 112. n. 12. Palao §. 2. n. 4. Vivian. in c. 2. §. siue sit prop. fin. Canif. ibid. n. 2. Gonzal. in c. 5. n. 5. Zoef. hic n. 1. Engl n. 3. König n. 9. Ratio est, quia licet semen eorum plerumque sit infœcundum, hoc tamen solum est ex accidenti ob defectum caloris, qui tamen arte Medica sæpe restaurari potest, ita, ut etiam prolem interdum suscipiant, ut probant exempla Manassæ Numidiæ Regis, Catonis Censorij, & Uladislai Regis Poloniæ, quorum primus post octoginta sex annos, alter anno octogesimo octavo ætatis filium genuit, tertio verò nonagenario duo filij nati sunt, Uladislauus, & Casimirus, prout ex *Tiraquello* refert Canif. n. 2. cit. Et esto, restaurari defectus caloris nequeat, sunt tamen veri coitûs capaces, & Matrimonium non tantum ad generationem prolis, sed etiam remedium incontinentiæ institutum est. Et hoc in femina, quantumcunque vetula, certius est; quia frigiditas, coitum viri senis impediens, ipsi non obstat, utpote quæ patiens est, & semen recipit, ad quod calor juvenilis minimè desideratur. Sylv. V. Matrimonium 8. q. 16. dist. 4. fin. Cucch. l. 5. Inst. major. tit. 12. n. 262. Barbof. in l. 1. p. 1. n. 97. ff. solut. Matr. Sanch. l. cit. n. 22. Gutier. n. 14.

34. Sequitur 3. Matrimonium quoque validè contrahere steriles, ut contra Felin. in c. cum sit n. 15. §. demum scito, de for. compet. teste Sanch. D. 92. cit. n. 26. recepta ab omnibus TT. & Juris Pontificij Professoribus sententia sustinet cum S. Thom. in 4. dist. 34. q. un. art. 2. ad 3. quod probat 1. exemplum S. Elisabeth Matris S. Joannis Baptistæ, cujus Matrimonium cum Zacharia subsistit, licet illa esset sterilis Luc. 2. 2. Usus Ecclesiæ; nunquam enim auditum est, quòd illa Matrimonium aliquod dissolverit ratione solius sterilitatis. 3. Ratio; cum enim ad actum conjugalem verè potentes sint, non est, cur negetur verum Matrimonium cum, & inter illos intercedere posse. Sanch. l. cit. Gutier. n. 16. Conink n. 86. Palao §. 2. n. 3. Zoef. hic n. 1. Engl n. 3. König n. 10. Reiffenstuel n. 17. & 18. Neque obstat 1. Autoritas S. Augustini relati can. solet. 6. caus. 32. q. 2. ubi censere videtur, non esse Matrimonium, quando spes sobolis deficit; nam textus iste solum loquitur de casu, quo in pactum deducitur conditio, ut vitetur proles, quæ conditio, cum sit bonis Matrimonij contraria, non est mirum, quòd illud vitiet. Non obstat 2. Textus c. accepisti 1. b. tit. ubi clamante muliere, se velle esse matrem, dissolvitur Matrimonium, & datur ipsi potestas nubendi R. P. Schmalzgrueber L. IV.

alteri; nam ut ea verba cum S. Thoma, & D. Bonaventura explicat Sanch. l. cit. sensus eorum est, Volo cognosci à viro. Non obstat 3. Quòd in sterilibus natura frustratur sine primario Matrimonij, cum ex eorum copula non sequatur generatio prolis, vel speretur secutura; sufficit enim, quòd obtineat finem secundariam, ut in senibus præc. dictum est.

Sequitur 4. Validè contrahere Matrimonium mulieres, quæ aptæ ad copulam quidem sunt, parere tamen non possunt sine vitæ periculo, vel non nisi foetum mortuum. Sanch. D. 92. cit. n. 28. & 29. Gutier. c. 112. n. 17. & 18. Conink D. 31. n. 86. Palao p. 14. §. 1. n. 13. Pirhing hic n. 5. quia, ut validum sit Matrimonium, satis est, quòd contrahentes suapte naturâ apti sint ad copulam perfectam, quæ aptitudo in præsentī casu supponitur non deesse. An verò talis mulier licitè nubat, distinguendum est; nam si aliàs pateretur graves tentationes, præsertim cum periculo succumbendi, tali casu etiam licitè nuberet, ut notat Conink l. cit. quia non tenetur dicta incommoda cum tanto suo malo superare. Secluso autem periculo incontinentiæ, nuberet illicitè, ne sine causa suam vitam, & prolis salutem exponat præsentī periculo. Neque tamen hinc inferas, Matrimonium ab ea invalidè contrahi; nam ad ejus valorem sufficit, quòd copula ipsi secundum se, & ex natura sua sit licita, tametsi ex accidenti fiat illicita, ut patet in eo, qui Voto Castitatis ligatus contrahit Matrimonium. Nec tali casu fit injuria proli, quæ mortua edenda putatur; quia hoc est præter intentionem conjugum, qui suo jure utuntur. Accedit, quia probabile est secundum D. August. l. 5. contra Julianum c. 8. tali proli melius esse sic esse, quàm omnino non esse. Conink n. 87.

Sequitur 5. Etiam in articulo mortis constitutum posse validè contrahere Matrimonium; nam ita habet praxis Ecclesiæ, quæ concubinario, in hoc articulo constituto, si aliunde impeditus non sit, permittit ducere concubinam, non tantum favore prolium, ex ea susceptarum, ut fiant legitimæ, sed salutis etiam Spirituales ipsius infirmi, qui ob nimium affectum in concubinam, & defectum, aut maximam difficultatem propositi serij ab ea recedendi de animæ suæ salute non parum periclitaretur, nisi periculum hoc tolleretur per initum cum ipsa Matrimonium; Sanch. l. 7. de Matr. D. 105. n. 3. Gutier. c. 118. n. 1. Conink n. 88. Laym. c. 11. n. 6. Palao §. 2. n. 6. Engl hic n. 4. Pirhing n. 6. König n. 11. Wiestner n. 34. fin. Reiffenstuel n. 20. Ratio est, quia potentia ad actum conjugalem adhuc perseverat, licet hunc vis morbi impediatur; unde quamdiu vis morbi potentiam istam esse destructam non constat, Matrimonium pro valido haberi debet.

Uu

bet.

bet. Aliter loquendum, si morbus etiam potentiam hanc omnino destruxisset, ita, ut nulla humana arte restaurari posset; tunc enim pro absolute impotente habendus esset, & Matrimonium contractum esset invalidum, ut *suprà* n. 33. de Sensibus dictum est. Laym. cit. n. 6. § 7.

37 *Sequitur* 6. Non habendum pro impotente, & conf. Matrimonium ab eo contractum valere, si vir non totum semen possit intra vas fundere, sed partem duntaxat; quia ea feminis pars, intra vas recepta, sufficiens est ad consummandum Matrimonium, & efficiendum, ut vir cum sua uxore fiat una caro. Gutier. c. 112. de Matr. n. 9. Idem dicendum de femina; nam hæc pro potente habenda est, si semen recipere possit intra vas, quamvis semen susceptum retinere nequeat: sed habenda erit pro sterili. Gutier. l. cit. n. 10.

38 *Queritur* 2. Qualis Impotentia coëundi dicimur Matrimonium? 2. Distinguendum est, an Impotentia temporanea solum sit, an verò perpetua. Si temporanea solum sit, certò non dirimit Matrimonium, undecunque demum illa proveniat. Sanch. l. 7. de Matr. D. 92. n. 2. Gutier. c. 112. de Matr. n. 1. Conink D. 31. n. 82. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 2. n. 1. Vivian. in c. 1. h. tit. pr. Vallenf. hic n. 2. Engl. n. 2. Schambog. n. 12. König n. 12. Reiffenstuel n. 11. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 2. n. 97. & colligitur ex c. fraternitatis 6. v. *quamvis igitur h. tit.* Ratio est, quia tales non sunt absolute impotentes ad actum conjugalem, ad quem se immediate obligant, sed tantum ad tempus, ergo possunt in ordine ad illum actum potestatem sui corporis tradere, licet modò illum actum exercere non possint. *Et procedit* istud, etiamsi talis Impotentia temporanea sit ignorata ab altero contrahente; adhuc enim minimè obstat valori Matrimonij, cum nullum Jus valorem eidem tollat: non *Ecclesiasticum*; quia hoc potius eidem favet c. fraternitatis 6. h. tit. ubi indistinctè deciditur per impotentiam temporaneam Matrimonium non irritari. *Non naturale*; quia hujusmodi Impotentia temporanea non tollit simpliciter finem Matrimonij, sed secundum quid, scilicet pro aliquo tempore, ac proinde non efficit involuntarium simpliciter, sed secundum quid, instar erroris in qualitate. Sanch. D. 92. n. 4. Gutier. c. 112. cit. n. 3. Vallenf. n. 2. *Et hinc sequitur*, Matrimonium, inter impuberes contractum, modò aliunde inhabiles non sint, seclusa speciali Constitutione Ecclesie, id irritante futurum fuisse validum; & ideo Pontifex cum ijs ad id, in ea ætate contrahendum, dispensare potest, ut sumitur ex c. ubi non est 2. fin. de Despons. impub. *Neque obstat*, quòd inhabilis ad solvendum etiam inhabilis sit ad promittendum; nam id verum tantummo-

do est de eo, qui omnino, & perpetuè est inhabilis, non verò de eo, qui in præsentia solvendo non est, si spes sit, illum fore in futurum solvendo. Possiet tamen intervenire aliqua culpa respectu impotentis ratione deceptionis conjugis potentis, si Impotentia illa diu duratura esset, & ei non detegeretur. Si tamen alter potens Impotentiam illam aliunde resciret, temporaliter impotens cum eo contrahendo non peccaret, etiamsi Impotentiam illam ipsi non detegeret; quia juxta Regulam, cum, qui certus est, non oportet amplius certiorari; & *fraus, & injuria scienti non fit*. Gutier. c. 112. cit. n. 4. Palao §. 2. n. 9.

Si verò Impotentia sit perpetua, videndum est, an solum sit respectiva, an verò absoluta. Si primum, dirimit Matrimonium respectu illius, vel illarum solum personarum, respectu quarum Impotentia datur. Gloss. in c. fraternitatis 6. v. *simili, & v. debeat h. tit.* Abb. *ibid.* n. 19. § 20. Sanch. l. 7. de Matr. D. 93. n. 3. Gutier. c. 112. de Matr. n. 19. § 20. Conink D. 31. n. 81. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 3. §. *sequitur* 2. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 3. n. 2. Wex Ariadn. p. 5. tr. 2. §. 4. n. 11. Zæf. hic n. 4. Schambog. n. 11. König n. 14. Wiestner n. 27. Reiffenst. n. 10. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 2. n. 99. & sumitur ex c. fraternitatis cit. Ratio est, quia Matrimonium respicit individuum, & determinatam personam, cum qua Matrimonium ineundum est, ergo si respectu illius quis potens sit, etsi respectu aliorum sit impotens, tenebit Matrimonium; quia jam ipsi obligatio ad actus conjugales non impossibilis erit cum illa, cum qua Matrimonium contrahit: plus autem ad valorem Matrimonij non requiritur, ergo &c. *Ex quo sequitur*, casu, quo Titius cum Bertha contraxit Matrimonium, & post contractum per legitimas probationes ostendatur, quòd ipse respectu istius sit respectivè impotens, ei, dissoluto hoc Matrimonio, permittendum, ut, si velit, contrahat cum alia, respectu cujus ipse est potens.

Si secundum, & Impotentia sit absoluta, præcedatque contractum Matrimonij, illud dirimit respectu omnium. Ita DD. cit. Deciditur c. accepisti 1. § *sequ.* h. tit. Accedit *Motus proprius Sixti V.* incipit *Cum frequenter editus 27. Jun. 1587.* & per se patet; nam de intrinseca ratione, & essentia Matrimonij est obligatio, seu traditio corporis ad usum, & copulam conjugalem is autem, qui absolute, & perpetuè impotens est, non potest se obligare ad dandum, vel tradendum corpus suum ad copulam; impossibilium enim nulla est obligatio Reg. 185. ff. de R. J. & nemo potest plus Juris transferre in alium, quam sibi competere dignoscatur, Reg. 79. in 6.

Porro quæ de vi dirimendi Matrimonij contrahendum, quam Impotentia per-

Sanctum tum respectiva, tum absoluta habet, dicta sunt haecenus, procedunt 1. quacunque ex causa fuerit orta hujusmodi Impotentia perpetua; nam etiam ex maleficio orta Matrimonium dirimit, si ejus contractum praecesserit, ut constat ex *can. fin. caus. 33. q. 1.*, cujus verba, quamvis ex quodam Archiepiscopo desumpta sint, usu tamen Ecclesiae quoad hoc tanquam textus recepta sunt. Idem constat ex *c. fin. b. tit.* quem textum universi scribentes de Impedimento maleficij intelligunt, dempto Innocentio, qui de Impedimento frigiditatis eundem explicat, Sanch. *l. 7. de Matr. D. 94. n. 8. pr.* Gutier. *c. 113. n. 1.* Censetur autem Maleficium perpetuum, si non possit auferri per opus humanum, nisi per aliud maleficium, vel per miraculum; secus, si per Exorcismos Ecclesiae, vel à solo ejus auctore, sed modo licito, Gutier. *n. 5.*

¶ 6. In dubio, quando constare nequit, an sit perpetuum praedictum Impedimentum maleficij, vel temporale, praesumetur esse perpetuum, & dissolvitur Matrimonium, quando per triennium conjuges copulae carnali dederunt operam, nec perficere eam poterunt *c. fin. cit.* Sanch. *n. 12.* Gutier. *n. 7.*

¶ 2. Procedit 2. Sive Impotentia illa contrahentibus cognita fuerit, sive non; quia ea conjunctio repugnat mutuae corporum traditioni ad usum conjugalem, in qua consistit substantia Matrimonij. Gutier. *c. 114. de Matr. n. 1.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 14. §. 2. n. 1.* Schambog. *hic n. 7.* Hoc tamen inter eum, qui scienter cum impotente Matrimonium contrahit, & inter illum, qui ignoranter contrahit, discrimen interjacet, quod ille, qui ignoranter contraxit, relictus alterius impotentia, permittatur Matrimonium contrahere cum alia; ille autem, qui contrahit scienter cum impotente, jubeatur cum illa habitare, ut frater cum sorore, ut habetur *c. consultationi 4. b. tit.* & notat Vivian. *ibid.* Honor. *hic n. 4.* Pirhing *n. 9.* Schambog. *n. 9.* Reiffenstuel *n. 61.* quamvis aliqui ad sic cohabitandum probabilius putent nullam dari etiam in hoc obligationem, sed tantum ad alimenta hujusmodi conjungi, ob impotentiam relictæ, praestanda: de quo *infra n. 59. & seqq.*

¶ 3. Procedit 3. Etiam si mulier, quæ cum impotentia perpetua contraxit Matrimonium, postea per miraculum sanetur; nam adhuc est, & manebit Matrimonium illud invalidum, nisi vir ejus per novum consensum denuo cum illa contrahat. Aliud est, si mulier per maleficium sit reddita impotens, & per ordinarios Ecclesiae Exorcismos postea sanetur; nam hoc ipso tunc apparet, temporalem tantum fuisse Impotentiam, & Matrimonium ab initio fuisse validum, Gutier. *c. 112. n. 22.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 2. coroll. 2.* Pirhing *hic n. 12.* Schambog. *ibid. n. 13.*

B. Schmalzgrueber L. IV.

¶ 4. Procedit 4. Et si arctitudo mulieris per sectionem cum periculo vitae sanari possit, & hanc mulier subire parata sit; adhuc enim Matrimonium tale nullum est. Laym. *l. cit. coroll. 1.* Ex quo sequitur, quod vir, non expectato incisionis ita periculosa eventu, separationem petere, atque ad alias nuptias transire possit, quippe cum priores ob defectum potentiae fuerint irritae, Sanch. *l. 7. de Matr. D. 93. n. 20.* Laym. *coroll. 1. cit. Pirhing n. 25. fin.* Contra si iudicio Medicorum Impedimentum removeri absque gravi periculo vitae per opus humanum, & licitum possit, Matrimonium tale subsistet, tamen si patiens Impedimentum renuat curationem; quia Impedimenti perpetuitas non pendet ex voluntate patientis impedimentum, neque ex eo, quod tollatur, vel non tollatur, sed ex eo, quod, spectata rei naturâ, tolli, vel non tolli possit absque vitae periculo. Sanch. *n. 15.* Palao *§. 1. n. 5.* Quando autem Medici dubij sunt, an ex medicamentis apponendis ad removendam Impotentiam periculum mortis subfit, censendum est subesse. Gutier. *c. 112. n. 27.* cum *citt.*

¶ 3. An Matrimonium dirimat Impotentia perpetua ad copulam, si hæc superveniat Matrimonio? Certum est, non dirimere, si superveniat Matrimonio jam consummato, ut habetur *can. hi qui 25. caus. 32. q. 2.* propter omnimodam Matrimonij istius indissolubilitatem.

Dubium est, an dissolvat Matrimonium Impotentia superveniens Matrimonio rato solum? Affirmant Gratian. *in fin. Summ. caus. 33. q. 1.* Sprenger *Malef. Malefic. p. 1. q. 8.* Alex. Carrer. *l. 5. de Spons. c. 18.* & suaderi videtur *1. can. quod proposuisti 18. causa 32. q. 7.* ubi Gregorius III. concessit cuidam licentiam migrandi ad aliud Matrimonium propter impotentiam perpetuam, uxori priori, ut quidem DD. hi textum presentem explicant, supervenientem. *2. c. ex litteris 3. b. tit.* ubi Alexander III. potestatem fecit alterius Matrimonij ineundi cuidam, cujus uxor ante consummationem reddita fuit copulae inepta. 3. Ratio, quia non minus requiritur ad Matrimonij conservationem, quam ad ejus essentiam, atque Matrimonij essentia consistere nequit, si initio adsit perpetua Impotentia coeundi, ergo &c.

Sed dicendum, nec Matrimonium ratum dirimi per quamcunque Impotentiam supervenientem. Ita Gloss. *in c. ex litteris cit. V. contraxit, & V. à natura,* Ancharan. *ibid. in fin.* Abb. *n. 3.* Alex. de Nevo *n. 2.* Brunell. *de sponsal. concl. 28. limit. 5. n. 21.* Sylv. *V. Matrimonium 8. q. 16. dist. 8.* Sanch. *l. 7. de Matr. D. 102. n. 3.* Gutier. *c. 116. de Matr. n. 1.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 3. not. 3.* Vivian. *in c. ex litteris cit. prop. fin.* Barbof. *ibid. n. 2.* Gonzal. *in c. 5. n. 7. & 8.*

W u 2

Val

Vallens. *bic n. 3.* Zoel. *n. 4. su.* Honor. *n. 3.* Engl. *n. 3. § 9.* Pirhing. *n. 21.* Schambog. *n. 18.* König. *n. 13.* Wiefner. *n. 29.* Reiffenstuel. *n. 12.* & sumitur ex *can. si uxorem 18. caus. 32. q. 7.* & *can. bi qui cit.* quorum utroque, præsertim posteriore, negatur, quòd Matrimonium contractum, superveniente quacunque infirmitate, vel defectu, solvatur. *Conf.* Nam ut apud melioris notæ DD. receptum est, Matrimonium ratum non solvitur quoad vinculum, nisi Professione Religiosa, & dispensatione Pontificis, cui et si ejusmodi Impotentia superveniens justam præbeat causam, non tamen sine illa Matrimonium ratum dirimit.

47 Neque obstant textus, & ratio in contrarium allegata. *Ad 1.* Ibi sermo est vel de muliere correpta infirmitate arctitudinis, ac propterea ad Matrimonium contrahendum jam antè inhabili, vel de Matrimonio ob supervenientem impotentiam dissoluto per Dispensationem Apostolicam, quia ratum solummodo erat, ut dictum est *suprà Tit. 3. n. 10.* *Ad 2.* Relatum ibi rescriptum Alexandri III. loquitur de Impotentia Matrimonium antecedente, ut notant *ibidem* Gloss. *V. contraxit*, Barbof. *n. 2.* Gonzal. *n. 2.* & patet ex textu ibi, *Si vitium illud mulier à natura contraxit.* *Ad 3.* Multa sunt necessaria ad rei essentiam, quæ ad conservationem illius minimè desiderantur.

48 Quæritur 4. An licitus sit usus Matrimonij, cui Impotentia perpetua supervenit? *n.* Cum distinctione: Vel enim Impotentia illa solum est ad generationem prolis, vel etiam ad copulam.

Si primum, exploratum est, licitum conjugibus per se loquendo esse usum Matrimonij; quia tali casu obtinetur saltem finis secundarius Matrimonij, nempe sedatio concupiscentiæ. Sanch. *l. 7. de Matr. D. 102. n. 7.* Excipiunt nonnulli casum, quo femina prolem, ex marito conceptam, semper mortuam, & cum manifesto vitæ periculo in lucem edit. Sed etiam hoc casu licitam esse uxori tam redditionem, quam petitionem debiti, docent Sanch. *l. cit. n. 8. § 11.* Conink *D. 31. n. 87.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 14. §. 2. n. 12.* Rationem dant, tum quia periculum hoc certum non est; tum verò quia hoc casu periculo isti præponderat periculum incontinentiæ, & animæ tum propriæ, tum consortis detrimentum, cui Matrimonialium actuum privatione ipsa cum consorte exponeretur. An verò hujusmodi uxor marito petenti etiam teneatur debitum reddere cum tali periculo, placet doctrina P. Conink *l. cit. n. 86.* juxta quam tali casu debitum uxor non tenetur reddere, si bona fide contraxit, & à thoro mariti separari vult: secus enim tenebitur reddere; quia non potuit contrahere, nisi ad hoc se obligando, alioquin gravissimè maritum deci-

peret volendo invitum obligare ad reddendum debitum sine jure petendi. Idemque est, quando vult eodem thoro cum marito uni; quia alias hunc gravissimis tentationibus exponeret.

Si secundum, iterum distinguendum est, an dubium sit, si sine Impotentia hæc temporalis, vel perpetua, an verò certum. *Si dubium est,* licitum est conjugibus conari ad copulam, quamvis per accidens, ac præter intentionem extra vas semen effundatur, idque tamdiu, quamdiu est spes probabilis feminandi intra vas. Sanch. *l. 9. de Matrim. D. 17. n. 20. § 24.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 4.* Palao *tr. 28. D. 4. p. 14. §. 2. n. 11.* Ratio est, quia tales conjuges dant operam rei licitæ, procurando copulam sibi possibilem, & permissam: & si licitum est conari ad copulam, quando Impotentia præcedit Matrimonium, adeoque dubius est Matrimonij valor, usque dum de ea factis confiter, multò magis id licebit, quando Impotentia subsequitur Matrimonium, & valor istius certus est.

Si verò certum sit, quòd Impotentia superveniens Matrimonio sit perpetua, Gaëta *in can. ad limina 30. q. 1. §. 4. n. 539.* Sanch. *l. 7. D. 102. n. 6. § 7.* Laym. *n. 4.* Palao *n. 5.* Wiefner *n. 33.* Reiffenstuel. *n. 65.* tertiam distinctionem adhibent: Vel enim impotentia hæc provenit ex testium, aut feminis defectu; & tunc ajunt licitam esse ipsis debiti redditionem, & ipsam etiam exactionem; quia per accidens est non posse veram copulam conjugalem habere, verumque semen effundere. Vel contra impotentia illa aliunde proveniens, & talis est, ut ad seminandum quidem non impotentem faciat, impediatur autem feminis intra vas receptionem: & tunc illicitus esse coitus, eo quòd virile semen extra vas effusum fraudetur contra naturam debito sibi sine, nec ipsa copula conjugalis sit, nec jure Matrimonij innitatur, sicut innititur habita intra vas.

Ex cæteris actibus hujusmodi conjugibus, non potentibus seminare intra vas, illi tantum permitti sunt, ex quibus sperant aut non effundendum semen, aut effusum quoad partem saltem vase foemineo recipiendum; contra prohibiti ipsis sunt actus tales, ex quibus certò scitur, quòd feminis effusio extra vas secutura sit, ita, ut nulla illius pars intra illud recipienda speretur. *Ratio est,* quia copula conjugibus post Matrimonium contractum solum licita est intra vas legitimum; igitur ejusmodi actus erunt ipsis illiciti, ex quibus receptionis spes nulla haberi potest: cæteri autem licebunt; quia cum sint veri conjuges, omnes cæteri actus censentur ipsis esse permitti, ex quibus pollutionis periculum non timetur. *Neque obstat,* quòd ejusmodi actus ad copulam referri nequeant; possunt enim fieri ad

ad sedandam concupiscentiam, & ad exhibenda mutui amoris signa.

52 **Quæritur 5.** An validum sit Matrimonium, initum ab Hermaphrodito, sive eo, qui utroque sexu pollet? *Certum est esse validum, si talis Hermaphroditus secundum sexum, secundum quem contrahit, non sit aliunde impotens.*

Dubium solum est, secundum quem sexum ille possit contrahere? In quo opus distinctione est: Vel enim unus sexus in eo prævalet, vel neuter. si neuter, eligere poterit, juxta qualem sexum Matrimonio jungi velit, num tanquam vir, an tanquam foemina: & tunc ex sua determinatione habebitur pro mare, vel pro foemina, ut docent Gloss. in can. si testes 2. §. ad testimonium caus. 4. q. 3. Sylv. P. Hermaphroditus in suo, Tabien. ibid. fin. Major. l. 2. de irregul. c. 25. n. 16. Henric. l. 14. de irregul. c. 2. n. 6. fin. Sanch. l. 7. de Matr. D. 106. n. 1. §. 6. Gutier. c. 119. de Matr. n. 1. Conink D. 31. n. 29. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 5. n. 1. Barbof. in c. 2. h. tit. n. 5. Zoesl. hic n. 6. Engl. n. 5. Pirhing n. 3. Wiestner n. 35. Reiffenstuel n. 23. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 2. n. 106. Ratio est, quia cum utroque sexu polleat, & uti utroque simul non possit, possit autem utroque disjunctivè, & æqualiter, rectè permittitur uti illo, quo uti ipse, adhibito peritorum, præsertim Medicorum, aut matronarum consilio vult, dummodo alterius sexus usui perpetuò renuntiet, præstito Juramento: quod ei à Judice Ecclesiastico deferendum, ex Hostiensis rectè monet Sanch. n. 1. cit. Gutier. n. 1. & alij; neque enim electione semel facta, variare potest, & velle altero sexu uti, ut cum cit. Sanchez advertunt Conink n. 29. Pirhing n. 3. Wiestner n. 35. fin. Et quidem Sanch. l. cit. n. 9. Gutier. n. 3. existimant reum esse peccati mortalis Hermaphroditum, in quo uterque sexus par est, si semel electo uno sexu, & juxta illum Matrimonio contracto, viduus effectus, juxta alterum sexum Matrimonio copuletur. Et hinc Parochus hujusmodi nuptijs, tanquam interdictis debet suam præsentiam negare, licet contractæ sint valida, cum Jure naturæ valeant, nec positivo Ecclesiæ irritentur.

53 *Si verò unus in eo sexus prævaleat, certum est, posse secundum illum contrahere validè; quia secundum illum censetur vir, vel foemina l. queritur 10. ff. de stat. bon. Sanch. n. 4. Gutier. n. 1. Conink n. 29. Palao n. 2. Zoesl. n. 6. Engl. n. 5. König n. 8. Reiffenstuel n. 23. Atque ita si prævaleat sexus masculinus, contrahere poterit ut masculus; & si prævaleat foemininus, contrahere potest ut foemina. An verò validè Matrimonium possit contrahere secundum sexum debiliorem, e. g. foemininum, cum ei prævaleat masculinus, in controversiam trahitur. Negant ex DD, cit, plerique*

cum Barbof. in c. 5. h. tit. n. 5. & Clericat. de Sacr. Matr. decis. 32. n. 51. ex ratione; quia cum Hermaphroditus à sexu prævalente vir reputetur, contrahendo cum alio viro, contraheret cum persona ejusdem sexus. Matrimonium autem, inter ejusdem sexus personas contractum, ipso Jure naturæ irritum est; ergo &c.

Sed melius cum Pont. l. 7. de Matr. c. 54. 65. n. 2. Hurtad. D. 22. diff. 10. fin. n. 35. Palao p. 14. §. 5. n. 3. Perez. D. 36. sect. 13. n. 4. Wiestner hic n. 36. Reiffenstuel ibid. n. 24. Magnif. P. Schmier l. cit. n. 112. adhibetur distinctio: & siquidem tali casu sexus foemineus ita debilis sit, ut eum ad copulam carnalem perfectam cum viro impotentem reddat, certum est, Matrimonium secundum illum non posse contrahi validè. Secus, si secundum utrumque sexum ad coitum potens sit: quia tali casu potentiam foemineæ talis Hermaphroditus habet; is autem, qui potentiam foemineæ habet, nullo Jure prohibetur inire cum viro conjugium, saltem, si diversi sexus usui, præstita cautione, perpetuò renuntiavit: vel si illicitum sit ipsi tale conjugium, saltem non erit irritum.

Porro, quinam sexus prævaleat, ex inspectione, à peritis facienda, est judicandum: si verò post hanc adhuc dubitetur, quisnam sexus prædominans sit, standum est ipsiusmet Hermaphroditi dicto, utpote qui de præsentis rem plus, quam alij cognoscere valet: imò Medici judicare debent juxta ea, quæ ipsemet de se asseruerit. Quodsi adhuc res in æquilibrio sit, & judicari nequeat, uter sexus prævaleat, censendum est sexum esse æqualem, quod æquæ rationes sint pro utroque sexu: & hinc eo casu eligere Hermaphroditus poterit, in quonam sexu velit contrahere, ut dictum est n. 52. Sanchez n. 2. §. 9.

56 **Quæritur 6.** Utrum, qui dubitat, sime potens, vel impotens, licetè contrahere Matrimonium possit? *Affirmat licetè contrahere Palacios in 4. dist. 34. q. 1. concl. 2. in fin. nixus textu c. laudabilem 5. & c. fin. h. tit. ubi ad ejusmodi dubium tollendum ab Ecclesia conceditur experimentum triennale. Sed minus bene: nam tempus istud solum indultum est ab Ecclesia ad explorandum valorem Matrimonij, prius legitime contracti, quando post ejus contractum suboritur dubium de impotentia contrahentium utriusque, vel alterutrius; cum enim tunc, antequam de valore ejusdem, vel nullitate constet, neque ratum haberi, neque dissolvi illud possit, meritò indulgetur hoc tempus, ut interea explorari possit, an revera Impotentia perpetua dirimens Matrimonium subsit.*

57 *Quare dicendum, licetè hoc casu non possit contrahi Matrimonium, antequam ejusmodi dubium deponatur. Ita Sanch. l. 7.*

de Matr. D. 103. n. 10. Gutier. c. 116. de Matr. n. 3. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 7. n. 1. Wiefner hic n. 37. Reiffenstuel *ibid.* n. 26. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 2. n. 119. § 120. Ratio est, quia tali dubio stante, contrahens Matrimonium necessitatem contrahit exercendi actus, de quibus rationabiliter dubitari potest, an fornicarij, vel conjugales sint: proinde gravem infert injuriam illi, cum quo Matrimonium contrahit, nec minorem Sacramento quod periculo nullitatis exponit.

18 An verò cum tali dubio Impotentiae Matrimonium ineunti liceat debitum conjugale petere, an solum reddere, aliud dubium est. Palacios *l. cit.* putat, tantum licitam ipsi esse redditionem, non verò petitionem. Sanchez autem n. 10. *cit.* existimat licere ipsi tam redditionem, quam petitionem: & hoc quamvis uterque mala fide illud injerit: non quidem ratione possessionis, quae mala fide incipienti minimè suffragatur; sed quia jus Matrimonij valor necessarìo discutiendus est; at quando de Impotentia non constat, nullo alio modo dubium id discuti potest, nisi habità copulà; igitur ut contrahentibus, & Ecclesiae consistere possit, an validè, vel invalidè contraxerint Matrimonium, redditio, & petitio debiti iisdem intra tempus à Jure praescriptum debet esse licita.

59 Quæritur 7. An Matrimonium contrahens cum impotente obligetur saltem ad cohabitationem, & exhibenda obsequia conjugalia, quæ potest? R. cum distinctione: Vel enim uterque Matrimonium bona fide, sive cum ignorantia hujusmodi Impedimenti contraxit vel cum scientia illius.

Si primum, & castè vivere communi consensu velint, ita sibi mutuo cohabitare possunt, ut rectè Sanch. *l. 7. de Matr. D. 97. n. 4.* Gutier. c. 114. n. 2. Conink *D. 31. n. 83.* Laym. *l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 4. fin.* Reiffenstuel *hic n. 62.* & apertè decisum est *e. laudabilem 5. b. tit.* ubi Cælestinus III. de Matrimonio, cum frigido ignoranter contracto, agens, Si, inquit, *ambo consentiant simul esse, vir eam, etsi non ut uxorem, saltem habeat ut sororem*: quod confirmatur ex motu proprio Sixti V. supra allegato. Sed tunc non licent eis tactus, qui solutis interdicuntur, eò quòd revera conjuges non sint. Sanch. n. 4. *cit.* Gutier. n. 3. Reiffenstuel n. 63. Et hinc quando incontinenter vivunt, vacando tactibus, aut in eodem lecto dormiunt, nullatenus permittendi sunt sic manere, ut constat ex *Motu proprio cit.* Imo stante tali periculo incontinentiae, tenentur reclamare ipsimet contrahentes, & petere, ut autoritate Ecclesiae dissolvatur Matrimonium hoc putatitium, Sanch. n. 8. Quia verò hujusmodi confederatio periculosissima, inter juvenes praesertim, est, ideo illa non facile est concedenda, Sanch. n. 6. § 7.

Si secundum contingat, & Matrimonium cum Impedimento Impotentiae contrahatur scienter, non pauci existimant, sic contrahentes teneri tanquam fratres convivere, & praestare sibi invicem alimenta: idque ob *c. consultationi 4. b. tit.* ubi Lucius III. Romana, inquit, *Ecclesia consuevit in similibus judicare, ut quas tanquam uxores habere non possunt, habeant ut sorores.* Et hoc procedere existimant, sive unus tantum impotentiae suae conscius fuerit, & sic deperit secum contrahentem, sive ambo conjuges tempore initi matrimonij sciverint Impotentiam: primum, quia fraus sua nemini patrocinari debet; alterum ob Regulam, *Si non valet, quod ago, ut ago, valeat omni meliori modo, quo potest*; possunt autem pacisci de perpetua inter se societate, etiam extra Matrimonium, secluso incontinentiae periculo; ergo &c.

Sed etsi hoc casu, si periculum incontinentiae, & vitae libidinosae absit, permitti iisdem possit, ut si ita velint, simul permanent, probabilius tamen non tenentur sic permanere: idque verum est, sive unus tantum, sive uterque contrahens Impotentiae fuerit conscius, ut pluribus alijs *cit.* advertit Sanch. *D. 97. cit. n. 10. § 12.* & sequuntur Engl *hic n. 8.* König n. 15. nec enim contrahentium mens fuit, ad eam habitationem instar fratrum se invicem obligandi, sed ad verum Matrimonium; quare cum verum Matrimonium minimè fuerit, non est, cur inde obligatio surgat. Neque obstat *c. consultationi cit.* quia isto nullo indicatur praecipuum, sed solum permittitur, ut ita contrahentes secum, continentiam servatà, cohabitent, si ita velint communi consensu, ut textum illum cum alijs explicat Sanchez *l. cit.* Axioma n. praec. allatum solum procedit, quando hujusmodi intentio praesumi potest; secus, si magis certum sit, quòd agentes eam intentionem voluerint esse exclusam, prout exclusa praesumitur hoc casu, cum inducat cohabitationis obligationem valde onerosam, & periculosam.

Quæritur 9. An vita socialis, inter impotentes, cognitã ab initio impotentiam, inita, verum Matrimonium fit, aut esse de Jure possit? Affirmant Paludan. *in 4. dist. 30. q. un. art. 2.* Tholof. *Synt. l. 9. c. 12. n. 6.* Medin. *de Continent. l. 5. c. 74.* Pont. *l. 7. à c. 56.* & nonnulli alij tum VV. tum RR. quibus non obscure favet S. Thom. *in 4. dist. 34. q. un. art. 2. ad 4.* & apertius *3. p. q. 29. art. 2.* Nituntur *1. c. consultationi 4. & c. laudabilem 5. b. tit.* ubi mulier impotens, ut n. 59. dictum est, si Matrimonium cum ipsa, praesertim scienter contractum est, cum haberi nequeat ut uxor, jubetur haberi ut soror. *2. can. requisisti 2. caus. 83. q. 1.* ubi Gregorius Pontifex, postquam idem dixisset, quod in duobus cap. modò allega-

60
tis Lucius, & Cælestinus, addit, Quodsi retinaculum conjugale voluerint rescindere, manent utrique innupti; igitur inter ipsos est retinaculum, seu vinculum conjugale; conf. verum Matrimonium. 3. Ratione; quia

Matrimonij essentia consistit in conjunctione animorum, quâ duo diversi sexûs se mutuo obligant ad naturalem vitæ societatem arg. l. nuptias 30. ff. de R. l. atqui conjunctio ista stare etiam cum Impotentia potest; ergo impotentes in hunc modum validè contrahere Matrimonium poterunt. 4. Si

61
ultra hanc conjunctionem animorum exigeretur obligatio ad actus conjugales non apparet, quomodo inter B. V. & S. Josephum consistere potuerit verum Matrimonium, cum illa, & probabiliter etiam S. Josephus ob Votum Castitatis obligare se ad actus conjugales nequiverint. 5. Validè contrahunt aliqui cum Voto continentiæ, & mutua obligatione nunquam petendi debitum, qui tamen moraliter impotentes sunt ad usum Matrimonij; ergo similiter validè contrahunt physicè impotentes. 6. Si potentia ad copulam esset de essentia Matrimonij, Impotentia superveniens illud dirimeret; hoc autem est falsum ex dictis n. 46. ergo &c.

63
Sed, etsi hujusmodi socialis vita, qua vir, & foemina, cognitâ ab initio impotentia, se obligant ad mutua obsequia, & foemina quidem ad inserviendum viro, vir autem ad ministranda alimenta foeminae, licet, secluso incontinentiæ periculo, ut ex dictis ad quest. præc. constat, contrahi possit, negandum tamen, quòd talis contractus sit verum Matrimonium. Ita Sanch. l. 7. de Matr. D. 97. n. 2. Conink D. 31. n. 78. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 6. n. 3. Perez D. 37. sect. 4. Card. de Lugo Respons. mor. l. 1. dub. 31. Zoesl. bic n. 5. Wielner ibid. n. 41. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 2. n. 139. §. 140. & passim DD. tum VV. tum RR. Offenditur 1. ex c. consultationi 4. b. tit. ubi Pontifex loquens de ijs, qui etiam scienter cum arctis, ideoque impotentibus ad copulam contraxerunt, dicit, quòd non possint has habere uxores. 2. Ex Motu proprio Sixti V. cujus tenor est: Mandamus, ut conjugia per quoscunque Evnuchos, & Spadones, utroque teste carentes, cum quibuslibet defectum illum sive ignorantibus, sive scientibus contrahi prohibeas; eosque ad Matrimonia contrahenda inhabiles auctoritate nostra declares, - - - & Matrimonia ipsa, sic defacto contracta, nulla, irrita, & invalida esse declares: quibus verbis Matrimonia, cum Evnuchis, & Spadonibus tam ignoranter, quàm scienter contracta, irrita pronuntiantur. 3. Ex Ratione; quia Matrimonium ex natura, & institutione suarefertur ad propagationem humani generis, sive ad actus ad istam ex se aptos, ut clarè indicatur Genes. 2. v. 24. ubi: Adhæbit uxori suæ, & erunt duo in carne una: cui con-

cordat can. DEUS 12. caus. 31. q. 1. & illud quoque 11. de presump. & hinc vi Matrimonij, à se contracti, conjuges obligantur ad redditionem debiti; atqui actus isti impotentibus sunt impossibiles; ergo etiam impossibilis erit inter ipsos, & cum ipsis Matrimonialis contractus. 4. Ex absurdis; nam si Matrimonium consistere potest in sola conjunctione animorum sine obligatione tradendi corpus ad actum conjugalem, non est ratio, cur non etiam possit consistere inter patrem, & filiam, filium, & matrem, fratrem, ac fororem, socerum, & nurum &c. nam prædicta animorum conjunctio, & societas vitæ eis non adversantur; ergo &c.

Neque obstant Argumenta allata in 54 contrarium. Ad 1. in c. cit. dicuntur duo, videlicet impotentem non posse haberi ut uxorem; alterum eam habendam ut fororem: primo Sententia nostra apertè confirmatur; quia clarè significatur, quòd verum Matrimonium cum illa non intercedat secundo nobis non contradicitur; quia, ut n. 61. dictum est, ibi cohabitatio, secluso incontinentiæ periculo, non præcipitur, sed solum permittitur, si in eam uterque consenserit. Ad 2. ibi nomine conjugalis retinaculi intelligitur non verum Matrimonij vinculum, sed putativum, ut patet ex textu; nam ibi permittitur rescissio conjugalis retinaculi; atqui contra naturam Matrimonij est, conjugium, semel validè initum, etiam ratum tantummodo, rescindi aliter, quàm Professione Religiosa, & Dispensatione Apostolica. Ad 3. patet ex Argumentis n. præc. allatis, quòd sola animorum conjunctio sine obligatione ad præstandos actus conjugales, si ab altero petantur, non sufficiat ad Matrimonium verum constituendum. Ad 4. B. V. virtualiter saltem consensit in obligationem tradendi corpus suum ad actus ejusmodi, si peterentur, idque sine periculo violandi Votum; quia ex revelatione Divina intellexit, eos à S. Josepho nunquam exigendos. Ad 5. Neg. Cons. quia moraliter solum impotentes habent corpora verè physicè potentia ad usum Matrimonij, & conf. illorum dominium, quod ab usu distinguitur, verè possunt tradere; secus est de physicè impotentibus. Ad 6. Neg. Sequel. plus enim requiritur ad jus aliquod primò acquirendum, quàm ad illud jam acquisitum retinendum.

Quæritur 10. Quo Jure Impotentia 66 perpetua dirimat Matrimonium? Palud. in 4. dist. 30. q. 1. art. 2. n. 6. Major, ibid. dist. 34. q. 1. col. 2. concl. 3. D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 15. §. 3. col. 4. Angel. V. Matrimonium 3. Imped. 18. n. 2. Tabien. V. Impedimentum Imped. 12. n. 1. Armill. V. Matrimonium n. 47. Gaëta in can. ad limina 30. q. 1. §. 4. q. 118. n. 328. §. 329. Pont. l. 7. c. 31. §. 2. §. seqq. fol. 258. & nonnulli alij volunt, Matrimonium

nium per eam dirimi solum Jure positivo, præsertim Ecclesiastico. *Nitentur* præcipuè c. quod sedem 2. b. tit. ubi Alexander III. Sicut puer, inquit, qui non potest reddere debitum, non est aptus conjugio, sic, qui impotentes sunt, minime apti ad contrahenda Matrimonia reputantur. Unde subsumunt: atqui Matrimonium, quod pueri, seu impuberes inter se contrahunt, non est irritum Jure naturali, sed Ecclesiastico tantum, cum ad id dispensare Pontifex possit; ergo etiam Matrimonium, inter impotentes celebratum, tantum irritum erit Jure Ecclesiastico. *Conf.* sicut Impotentia temporalis se habet respectu temporis, quo ipso durat, ita se habet Impotentia perpetua respectu temporis totius vitæ; nam illa pro tempore, quo durat, non minùs impedit traditionem ad actus conjugales, ac eam impedit Impotentia perpetua pro toto tempore vitæ; atqui Impotentia temporanea Matrimonium dirimit solo Jure Ecclesiastico; ergo etiam Impotentia perpetua.

66 Sed meliùs dicitur, Impotentiam perpetuam dirimere Matrimonium Jure naturali. Ita S. Thom. in 4. dist. 34. q. un. art. 2. ad 1. Scot. ibid. q. un. pr. Sot. art. 2. concl. 1. Palacios D. 1. ad fin. Sylv. V. Matrimonium 6. q. 5. dist. 3. Sanch. l. 7. de Matr. D. 98. n. 2. Gutier. c. 112. de Matr. n. 2. Conink D. 31. n. 77. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 1. Hurtad. de Matr. D. 22. n. 30. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 6. n. 1. Perez D. 37. sect. 9. n. 2. Barbol. in c. quod sedem cit. n. 2. Zœl. hic n. 4. Engl. n. 1. Pirhing n. 7. König n. 5. Schambog. n. 7. Wiestner n. 45. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 2. n. 123. & communissima cæterorum. Ratio est, quia contractus Matrimonialis essentialiter consistit in mutua traditione, & translatione Juris in corpus, mutuòque consensu in obligationem, non solum ad individuam vitæ societatem, sed etiam ad actus ex se aptos ad generationem proles, ut indubitatè desumitur ex Gen. 2. v. 24. & præsertim ex 1. Corinth. 7. v. 3. & 4. Uxori vir debitum reddat &c. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir &c. atqui is, qui Impotentia perpetuâ laborat, corporis sui jus ita transferre in alterum, & in obligationem ad ejusmodi actus consentire non potest, hoc ipso, quòd actus ad proles generationem apti ipsi impossibiles sint, per Reg. impossibilium 185. ff. & Reg. nemo 6. in 6. ergo

ipsi contractus Matrimonialis ex natura rei est impossibilis: id verò, quod natura rei repugnans est, est Jure naturali nullum & irritum; ergo &c. *Conf.* à paritate cum Emptione Venditione, quæ nullo Jure naturæ est, si fiat de re, quæ tradi non potest, aut in commercio hominum non est.

Proceditque hoc 1. etsi Impotentia ista sit perpetua respectivè solum ad certam, vel certas personas; nam his jus in corpus suum ad actus conjugales ex se aptos ad generationem proles non potest tradere, quòd respectu illarum isti impossibiles eidem sint. Sanch. D. 98. cit. n. 5. *Procedit 2.* ex quacunque causa Impotentia ista procedat, & conf. etiam si procedat ex maleficio; qui etiam talis Impotentia actum conjugalem impossibilem reddit aliquando respectu omnium, aliquando respectu certarum solummodo personarum: & hinc necesse erit de illa discurre, sicut de Impotentia perpetua absoluta, & respectiva, quæ nascitur ex causa intrinseca. Sanch. n. 6. *Procedit 3.* Etiam de conjugijs Infidelium; quia Jure naturali obligantur etiam Infideles: conf. Matrimonium, ab ipsis inter impotentes contractum etiam ipsum erit irritum.

Ad Argumentum adverse Sententie ne 68 go paritatem inter Matrimonium contractum inter impuberes, & inter Matrimonium contractum cum impotente perpetuò; nam qui ob defectum ætatis ad exhibendos actus conjugales jam non est potens, subire tamen potest obligationem exhibendi illos, cum potens per ætatem effectus fuerit: contra qui laborat Impotentia perpetuâ, nunquam obligare se ad actus istiusmodi potest, hoc ipso, quia actus illi ponuntur ipsi esse in perpetuum impossibiles. Paritas dari potest in quacunque alia obligatione; nam etsi obligare se aliquis possit ad solvendum debitum, cui solvendo quidem nunc non est, erit autem solvendo, non tamen obligare se aliquis potest ad debitum solvendum, cujus solvendi semper incapax erit. *Ad Conf.* Eadem est responsio; nam Impotentia temporalis, etsi impediatur, ne nunc exhiberi actus conjugales possint, quia tamen exhiberi poterunt, cessante illâ Impotentia, non excludit traditionem Juris in corpus, & obligationem ad actus conjugales, quam tamen simpliciter excludit Impotentia perpetua.

S. III.

De Dissolutione Matrimonij, cum Impotente initi.

S U M M A R I U M.

69. Coniux potens ab impotente propria auctoritate non potest recedere.
 70. Sed requiritur auctoritas Ecclesie & plena probatio.
 71. Potest adversus Matrimonium ex causa Impotentie proclamare non tantum vir,
 72. Sed etiam femina impotens.
 73. 74. Quamdiu?
 75. Quomodo probanda sit Impotentia?
 76. Que personæ ad inspectionem corporis sint adhibendæ?
 77. Quo numero?
 78. 79. 80. An semper desideretur triennium experientia?
 81. 82. 83. Quid faciendum, transacto triennio?
 84. 85. 86. A quo tempore istud sit computandum?

69. **Q**uæritur 1. Quomodo dissolvendum sit Matrimonium, quod ob Impotentiam perpetuam nullum est? *Certum est*, conjugem potentem ab impotente, etiam si certus sit de Impotentia illius, à conjugio propria auctoritate non posse recedere *arg. c. porro 3. de divort.* Opus igitur ad dissolvendum ejusmodi Matrimonium erit auctoritate Ecclesie, & Judicis Ecclesiastici, ut rectè notat P. Wiestner *hic n. 47.* Interim tamen hujusmodi conjuges, si certò cognoscant adeste ex parte unius impotentiam perpetuam, abstinere tenebuntur ab omni ulteriori attentatione copulæ, & tactibus lascivis; ubi enim de Impotentia certò constat, certò etiam constat, quòd Matrimonium, inter eos initum, nullum sit: cons. abstinendum erit ab actibus, qui non nisi veris, vel saltem dubijs conjugibus liciti sunt. Reiffensuel *hic n. 33.*

70. Debet autem propter arduitatem negotij procedere ad Matrimonij dissolutionem, ex causa Impotentie faciendam, Judex maxima circumspectione: neque solis conjugum, etiam utriusque, assertionibus credet, sed eam solùm decernet, obtenta plena Impotentie probatione Gutier *c. 120. de Matr. n. 1. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 9. n. 1. Valent. hic n. 5. Honor. n. 14. Engl n. 6. Reiffensuel n. 34.* Ratio est, quia aliàs conjuges, mutux cohabitationis periculi, facile colludere, & separationem, nec non licentiam alteri nubendi obtinere possent: & sic dissolutio Matrimonij semel contracti penderet ex voluntate contrahentium: quod fieri non debet. Pirhing *hic n. 14.*

71. **Q**uæritur 2. Quis proclamare contra Matrimonium ex causa Impotentie possit, an ille solùm, qui potens est, an etiam, qui
 R. P. Schmalzgrueber L. IV.

87. 88. An debeat esse continuum?
 89. 90. 91. Quid observandum circa Juramentum, quod imponi conjugibus, & alijs debet, quando petitur dissolutio Matrimonij ex causa Impotentie?
 92. 93. 94. Quid faciendum, si is, ob cujus Impotentiam Matrimonium dissolutum est, deinde aliud ineat?
 95. 96. 97. 98. Quando restaurandum sit Matrimonium ob impotentiam dissolutum?
 99. 100. Quando restorationi non sit locus, etiam si Impotens declaratus deinde comperiat potens?
 101. 102. Quid requiratur, ut Matrimonium, quod Ecclesie auctoritate ob Impotentiam est dissolutum, restauretur?
 103. Quid facere debeat alter coniux, ob cujus Impotentiam dissolutum est Matrimonium?

impotens? *Certum est*, quòd proclamare adversus Matrimonium possit vir, quamvis ex parte ipsius impotentia se teneat. Gloss. *in can. requisisti 2. v. idcirco caus. 33. q. 1.* Joan. Andr. *in c. accepisti 1. b. tit. n. 3. Abb. ibid. n. 1. not. 1. Alex. de Nevo n. 1. Sylv. v. Matrimonium 8. q. 16. dict. 5. Sanch. l. 7. de Matr. D. 114. n. 2*, quia viri interest ipsam dissolvi, ne cogatur ad onera Matrimonij irriti sustinenda. *Excipit Sanch. l. cit. n. 3. §. 4.* duos casus: *unum*, quando vir proclamans contra Matrimonium eò tendit, ut sibi ad alias nuptias transitus permittatur; tunc enim allegans frigiditatem propriam audiri non debet, quòd petitio ejus adverteretur allegationi: fecus, si allegaret impotentiam femine, aut maleficium, quia maleficium communiter est tantum respectu illius femine, cum qua contraxerat. *Alterum*, si contraxit conficius impotentie propria: tunc enim non ipse, sed mulier, cum qua contraxit, adversus Matrimonium proclamare deberet, nisi periculum incontinentie subesset ex consortio cum ea uxore existimata; nam eo casu petere posset à Judice, ut ex officio suo eos separet.

Major difficultas est, an quando Impotentia se tener ex parte femine illam ignorantis tempore Matrimonij, si postea eam comperiat, illa possit proclamare adversus Matrimonium, allegando suam impotentiam. *Videtur*, quòd non; quòd femine tali casu non interfit id Matrimonium dissolvi. Et ita videntur tenere Glossa, Joannes Andr. Alex. *de Novo n. prec. allegati*, qui putant id speciale esse in viro, ut liberetur à sustinendis oneribus Matrimonij: quæ ratio locum non habet in femina. Sed meliùs cum Palud. *in 4. Dist. 24. q. 2. art. 1. concl. 3. n. 2. fin.*

9. *fin.* & D. Antonin. 3. p. tit. 1. c. 12. §. 1. docet Sanch. l. cit. n. 6. etiam sceminam impotentem proclamare adversus Matrimonium ex causa Impotentiae suae posse: quia satis ipsius interest separari ab eo, qui verè non est suus vir, nec ipsi subijci, & restitui sibi dotem. Accedit, quia æquum non est, cogi simul esse inlar sororis, cum tantum se obligarit ad habendum ut virum, & culpâ vacet.

73 Quæritur 3. Quamdiu proclamare adversus Matrimonium, & petere dissolutionem illius liceat? Rationem dubitandi faciunt tres textus, inter se, ut videntur, contrarij; nam c. *accepisti* 1. h. tit. mulieri post annum, & dimidium alleganti impotentiam viri denegatur audientia, & rationis loco ei objicitur, cur tamdiu tacuerit, cum facillè, & intra breve tempus scire potuerit, an maritus sit aptus ad copulam: contra c. *fin. eod.* adversus Matrimonium conquerens auditor post octo cohabitationis annos: imò c. *fraternitatis* 6. tit. cit. statuitur, audiendum post multos etiam annos. Horum textuum apparentem Antilogiam ut concordarent, Interpretes antiqui multum laborarunt, & multi frustra: nec defuerunt aliqui, qui dispositionem c. *accepisti* cit. correctam assererent per posteriores textus; imò fuerunt, qui cit. c. *accepisti* negarent vim Juris, quòd ex Brocardico solum in Decretales assumptum sit. Sed utrique male: *primi* quidem; quia correctio Juris vitanda est, quando per congruam aliquam interpretationem vitari potest: *posteriores*; quia si ratio fontis habenda esset, ex quo textus in Decretales est derivatus, vis, & auctoritas Juris innumeris textibus adimenda foret.

74 Quare melius contrarietas ista concordatur distinguendo: Vel enim uterque conjux fatetur Impedimentum alterutrius, vel unus solum adversus Matrimonium ob Impotentiam proclamat, altero verò Impotentiam negat. Si *primum*, audiendi sunt proclamantes adversus Matrimonium quocunque tempore, etiam post multos annos, ut rectè colligitur ex c. *fraternitatis*, & c. *fin. cit.* quia tractu temporis Matrimonium irritum non firmatur. Si *secundum*, videndum est, an proclamatio fiat ante triennium ad experientiam potentiae, vel impotentiae à Jure concessum, vel post illud. Si *post illud*, audienda est pars proclamans, etiam contradicente altera, ut iterum colligitur ex c. *fraternitatis*, & c. *fin. cit.* Si *ante triennium*, iterum distinguendum est, an proclamans allegata à se impotentiae signa certa, aut saltem verisimilia afferat, an verò dubia duntaxat. Si *certa, aut saltem verisimilia*, audiri debet etiam ante triennalem experientiam. Si *verò dubia solum*, ante triennalem experientiam audientia illi denegatur, non tamen post illam, imò nec ante illam,

si statim, i. e. post unum, vel duos menses, à copula attentatione lapsos, proclamet, qui genuinus est sensus c. *accepisti* cit. Atque ita textus hos explicant Sanch. l. 7. de Matr. D. 109. n. 14. Gutier. c. 120. de Matr. n. 27. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 8. n. 2. Barbol. in c. 1. h. tit. n. 8. Pirhing hic n. 31. not. 2. Wiestner n. 49. Reiffenstuel n. 53. & duob. seqq.

Quæritur 4. Quomodo probanda sit impotentia, ut procedi ad Matrimonij dissolutionem possit? Opus est plena Impotentiae probatione, ut dictum est n. 70. Si aliter de corporis defectu constare non possit, adhibenda erit inspectio corporum, masculini quidem per Medicos, & Chirurcos, fæminini autem per obstetrices, aliasque honestas matrones c. *fraternitatis* 6. & c. *fin. h. tit.* juncto c. *proposuisti* 4. & c. *causam* 14. de probat. Quod verum est regulariter; nam si quæstio sit de qualitate alia altiore, fæminæ notitiam superante, v. g. an mulier arcta per incisionem absque periculo vitæ apta possit reddi ad copulam perfectam, etiam pro inspicienda fæmina Chirurgi, & Medici adhiberi debent. Sanch. l. 7. de Matr. D. 113. n. 21. Reiffenstuel hic n. 41. & probatur ex c. *ex litteris* 3. & c. *fraternitatis* 6. h. tit. ubi de ope Medicorum, ac incisione fit mentio, quæ cerè non nisi inspectione per illos facienda fieri potest.

Debent autem Matronæ istæ 1. esse 76 honestæ, & bonæ famæ, non leves, aut viles, ne modico pretio subornatæ, fallum deponant c. *causam*, c. *fraternitatis*, & c. *fin. cit.* 2. Debent esse artis peritæ, & ad hoc idoneæ: hinc nec nimia juvenus ob experientiam defectum, nec nimia senectus ob defectum visus iisdem inesse debet. Sanch. l. cit. n. 2. cum Joan. Andr. Hof. Anchar. Præpos. Alex. de Nevo, Brunell. Pacian. & alijs. 3. Debent esse de Parochia fæminæ inspiciendæ c. *fraternitatis* cit. ubi Quasdam Matronas suæ Parochiæ Sc. & ratio est, quia præsumitur eas habituras pleniorē notitiam. 4. Debent eligi à Judice, & non à partibus; quia potius Judicem, quam testium munus obeunt, & vocantur, ut Judicem instruant, Sanch. n. 5. cum Bartol. Angel. Felin. 5. Ut testimonio suo fidem faciant, desideratur ab ipsis Juramentum, cum res sit gravissima. Juramentum tamen hoc non debet esse de omnimoda certitudine, sed sufficit, si testificentur verisimiliter juxta æstimationem, quam ex artis peritæ affectu sunt. Sanch. n. 15. Et idem cum proportionem dicendum de alijs artis peritis, qui ad inspectionem corporis adhibentur. Reiffenstuel hic n. 40.

De numero Matronarum, & aliorum 77 artis peritorum, qui ad hujusmodi inspectionem adhiberi debent, controversia est inter DD. & occasionem eidem præbent duo textus, unus Juris Canonici c. *proposuisti*

fit cit. ubi plures censentur fuisse adhibitæ matronæ: alter Juris Civilis l. temporibus 1. §. si omnes 8. ff. de inspici. ventr. ubi contra faminam, dicentem se esse pregnantem, quinque requiruntur obstetrices.

Sed dicendum, sufficere duas honestas, & expertas Matronas. Ita Gloss. in can. nec aliqua v. obstetricum 27. q. 1. Alex. de Nevo in c. fin. b. tit. n. 11. Sanch. l. 7. D. 109. n. 8. & D. 116. n. 16. Barbof. in c. proposuisti cit. n. 7. Reiffenstuel n. 36. & alij satis communiter; quia à generali Regula, quòd in ore duorum, vel trium testium fiet omne verbum, res hæc non excipitur. Imò, ut cit. P. Reiffenstuel n. 40. cum Sanch. D. 113. n. 17. & Barbof. n. 7. cit. notat, in casu, & loco, ubi unus tantum peritus, ac fide dignus adesset, ille solus sufficeret arg. l. stipulatio 1. in fin. ff. de V. O. quamvis Abb. in c. proposuisti cit. putet in causa valde ardua, qualis est dissolutio Matrimonij, requiri duos, ita, ut uno tantum existente in loco, secundus è viciniore loco accessuri debeat.

Ad c. proposuisti cit. respondet Sanch. n. 8. cit. ibi fieri mentionem septem obstetricum, non quasi tot necessariae sint, sed quia adhibite sunt ad majorem cautelam: & hinc quoad hoc est narratio potius facti, quam Juris dispositio; & sic probationem non facit. Ad l. temporibus ibi est specialis dispositio, quæ facta est, ne hæredibus præjudicium generetur, ut cum Gloss. ibid. v. quinque notat Sanch. l. cit.

78 Quæritur 5. Utrum ad declarandum Matrimonium irritum ratione Impotentiae consideretur triennium experientia à Jure præscriptum? R. Decisionem istius questionis pendere ex qualitate indiciorum, & signorum, quæ ex inspectione peritorum deprehensa sunt; nam

1. Si peritorum judicio habeantur indicia, & signa Impotentia: omnino certa, & evidentiæ physicæ, v. g. quòd mas virilibus, vel utroque teste careat, aut femina propter nimiam arctitudinem ad omnem coitum indubitato inepta appareat, Matrimonium sine mora, aliave probatione, aut solennitate dissolvendum est: neque opus erit, eo casu conjugibus deferri Juramentum, sed sufficere, quòd id delatum sit, & prælitum à Medicis, & alijs, qui ejusmodi signa adesse testantur. Gloss. in c. 6. b. tit. v. Matronas, Abb. ibid. n. 11. Sanch. l. 7. de Matr. D. 107. n. 3. Gutier. c. 120. de Matr. n. 3. Pont. l. 7. c. 66. n. 1. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 9. n. 3. Vivian. in c. 1. §. sed si b. tit. Barbof. ibid. n. 2. & in c. 5. n. 2. Gonzal. in c. 5. n. 8. Vallens. hic n. 5. Engl. n. 6. Zoel. n. 4. Pirhing n. 16. not. 1. fin. Wiestner n. 51. König n. 12. Reiffenstuel n. 42. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 2. n. 149. Ratio est, quia tali casu certa est Matrimonij nullitas, quæ comper-

tâ, Juri naturali adversatur carnale commercium.

2. Si Impotentia: signa non sint certa physice, sed moraliter tantum, præmittendum est Juramentum, præstandum tum à conjugibus, de quorum Matrimonio agitur, tum à septem alijs horum vel confanguineis, vel vicinis: & conjuges quidem jurabunt, se coire non posse, ceteri se credere dictos conjuges jurasse verum: & tum si cum Medicorum, & peritorum, qui corpus inspexere, dicto, quo verisimiliter judicant adesse Impotentiam, concordaverint horum Juramenta, dissolvetur statim Matrimonium, nullâ temporis morâ expectatâ: si discordaverint testimonia hæc, idem fiet, quod statim dicetur de signis dubijs. Anton. de Butrio in c. laudabilem 5. b. tit. n. 14. Alex. de Nevo ibid. n. 17. Sanch. n. 4. Gutier. n. 4. Honor. hic n. 14. Pirhing n. 14. fin. Wiestner n. 56. Reiffenst. n. 43. Magnif. P. Schmier n. 151. cum reliquis supra, & colligitur ex c. laudabilem 5. & c. fin. b. tit. Ratio est, quia probatio per signa solum moraliter certa est minor, quam quæ fit per signa physice certa, major autem, quam quæ fit per signa solum dubia, igitur ut compleatur probatio, in re tam ardua merito exigetur Juramentum; non autem triennis experientia, quia hæc solum requiritur, quando signa Impotentia: dubia sunt. Igitur

3. Si signa sint dubia, concedendum est conjugibus triennium ad experiendum, an Matrimonium per veram copulam carnalem valeant consummare, juxta textum cit. Imò, quia femina plenam, & perfectam pubertatem adipiscitur primùm expleto 14. & mas 18. ætatis anno, ut habetur de femina l. mala 14. ff. de aliment. de mare l. arrogato 40. §. non tantum 1. ff. & §. minorem 4. Insti. de adoption. idcirco si in minore ætate contraxerint, eò usque experientia: tempus extrahendum erit. Host. in c. 5. b. tit. post pr. Joan. Andr. ibid. n. 3. Sanch. D. 108. n. 4. Gutier. c. 121. n. 4. Conink D. 31. n. 84. Palao p. 14. §. 4. n. 6. & §. 9. n. 6. Vivian. in c. 5. cit. §. alijs, Barbof. ibid. n. 7. Pirhing hic n. 14. fin. Schambog. n. 16. Wiestner n. 53. Magnif. P. Schmier n. 153. cum enim hominum complexionones diversæ sint, æquitas postulat, ne Matrimonij dissolutio intentetur, quousque conjux ea ætate polleat, in qua perfectum robur natura comparat. Excipe, nisi ad oculum pateat, impotentiam non ex imbecillitate naturæ, sed ex frigiditate, vel alio Impedimento provenire. Palao §. 4. n. 6. fin.

Quæritur 6. Quid faciendum, transacto triennio experientia: ? R. Si tum signa Impotentia: certa, aut saltem verisimilia non appareant, videndum, quid asserant ipsi conjuges; nam

X x 2

1. Si

1. Si Matrimonium verè consummatum neget vir, & fãmnia affirmet, fides habenda est affirmanti, & sententia pro Matrimonio ferenda est. Ita Hofst. in c. 1. b. tit. n. 1. Joan. Andr. *ibid.* n. 4. Ancharan. n. 4. Alex. de Nevo n. 9. fin. Mascard. de Probat. concl. 312. n. 24. Sanch. l. 7. de Matr. D. 109. n. 9. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 9. n. 7. Wiestner *hic* n. 54. Reiffenstuel *ibid.* n. 48. Ratio est, quia in pari causa potior est conditio possidentis juxta Reg. 65. n. 6. nec præsuntur, quòd fãmnia viro impotenti cohabitare, & sterilis apparere velit.
- 81 2. Si contrà fãmnia neget consummatum esse Matrimonium, vir affirmet, fides habenda est viro, præsertim si illa distulit proclamare adversus Matrimonium, prout sumitur ex c. accepisti 1. b. tit. ubi ratio redditur; quia tunc duæ præsumptiones concurrunt contra mulierem, una, quòd tardè proclamàrit, altera, quia vir est caput mulieris: cons. potius illius, quàm hujus assertioni credendum est. Hofst. in c. 1. cit. n. 1. V. *tandiu*, Joan. Andr. *ibid.* n. 7. Ancharan. n. 7. Abb. n. 5. Alex. de Nevo n. 7. Sanchez D. 109. n. 2. Canif. in c. 5. b. tit. n. 4. Barbof. *ibid.* n. 6. Pirhing. *hic* n. 14. not. 2. Wiestner n. 14. Reiffenstuel n. 49. cum alijs. Excipitur, nisi Medicorum, aut Chirurgorum assertione probari possit, quòd vir sit impotens, aut testimonio obstericum, vel aliarum Matronarum honestarum, quòd fãmnia adhuc virgo sit, & incognita; tunc enim pronuntiandum est pro uxore contra virum. Sanch. l. cit. n. 5. §. 6.
- 83 3. Si denique alterum impotentem esse uterque affirmet, ad tollendam suspicionem collusionis ipsis cum septima manu propinquorum, aut vicinorum, vel si tales, & tot haberi nequeant, aliorum bonæ famæ, & pauciorum, Juramentum modò, quo *suprà* n. 79. dictum est, deferri debet: quo præstito Matrimonium irritum declarandum, & ei, qui potens est, ad alia vota transitus permittendus est. Gloss. in can. requisisti 2. V. septima manu caus. 33. q. 1. Rosell. V. *divortium* n. 4. Sylv. *ibid.* 20. n. 23. fin. Mascard. de probat. concl. 816. n. 8. Pacian. de probat. l. 2. c. 2. n. 24. Sanch. l. 7. D. 108. n. 7. Gutier. c. 120. n. 9. §. desideratur, Palao §. 9. cit. n. 11. Vallens. *hic* n. 5. Pirhing n. 17. König n. 12. fin. Wiestner n. 55. Reiffenstuel n. 44. & statuitur c. *laudabilem* 5. & c. fin. b. tit. Ratio est, quia Juramentum hoc petitur, eò quòd possit esse collusio inter conjuges, & ut cautiore diligentia adhibita, dissolutio Matrimonij fiat. atqui periculum collusionis etiam potest esse post tractum triennium, ergo &c.
- 84 Quæritur 7. A quo tempore computandum sit triennium, à Jure præscriptum pro experientia Impotentia? Videtur computandum à tempore contracti Matrimonij;

nam ita loquitur Pontifex c. *laudabilem* 5. b. tit. ibi, *A tempore celebrati conjugij - - - cohabitent per triennium.* Sed verba ista non obstant; nam ut Gloss. in c. cit. V. *celebrati*, Hofst. *ibid.* pr. Ant. de Butrio n. 10. Alex. de Nevo n. 10. Sanchez l. 7. de Matr. D. 110. n. 1. Pirhing *hic* n. 16. not. 2. Wiestner *ibid.* n. 56. verba hæc explicant, intelligenda sunt de contractu Matrimonij, ut ferè solet, per copulæ attentionem perfecto. Hinc conveniunt inter se DD, satis communiter, triennium istud non computandum simpliciter à tempore contracti quomodocunque Matrimonij, sed à die attentatæ copulæ. Sanch. l. cit. Gutier. c. 120. n. 19. & c. 121. n. 1. Conink D. 31. n. 83. fin. Vallens. *hic* n. 7. Reiffenstuel n. 27. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 2. n. 156.

Dubium moveri potest, an triennium istud numerandum sit ab ipsa attentione, vel potius à Decreto Judicis; nam dissentiant in hoc DD. Qui concordari possunt per ea, quæ tradunt Riccius *prax. decis.* 239. n. 1. Farin. vol. 1. *Conf. decis.* 27. §. 277. & vol. 2. *decis.* 192. §. 226. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 10. n. 3. Pont. l. 7. c. 66. Gonzal. in c. 5. b. tit. n. 8. Wiestner *hic* n. 56. juxta quos, spectato Jure, triennium hoc quidem incipit ab ipsa attentione copulæ; ex praxi verò Curia Romana à Decreto Judicis. Primum clarè satis colligitur ex c. *laudabilem* cit. & c. fin. eod. ubi assertitur, mulierem, quæ viro suo per octo annos cohabitavit, ab eo statim separandam, si conspiterit, eos intra prædictos annos per continuum triennium insimul habitasse. De altero Farin. l. cit. assertit auctoritatem Rotæ, additque solere præcipi, ut præmittatur Confessio peccatorum, & SS. Eucharistia sumptio.

Quando contrahentium unus, vel 86 uterque non plenam adeptus est pubertatem tempore Contractus Matrimonialis initi, n. 80. dixi, expectandam hanc esse, nisi de Impotentia nondum plenè puberis constet per signa evidentialia. Dubium remanet, an etiam ex tunc tempus experientia computandum sit? Quibusdam placet, adveniente pubertate plena, si conjux alter instet, ut dissolvatur Matrimonium ratione Impotentia, id dissolvendum esse; non autem explicant, an mora aliqua sit expectanda, ac proinde nullam expectandam sentire videntur. Alij verò cum Hofst. Joan. Andr. Anchar. Alex. de Nevo apud Sanch. l. cit. n. 9. putant, post plenam pubertatem expectandum adhuc mensem, vel bimestre arbitrio Judicis. Benignior, & rationi magis congrua est opinio Zabarell. in c. *puberes* 3. de despons. impub. Sanch. l. cit. n. 10. Palao §. 10. n. 4. juxta quam triennium experientia à Jure præscriptum primum incipit à tempore adeptæ plenæ pubertatis; quia quous- que

que eam ætatem non attigerunt, præsumi jure merito potest, Impotentiam coeundi non ex frigidityte, aut maleficio, sed ex debili complexione, & conditione provenire.

87 Quæritur 8. An experientia triennium debeat esse continuum? Affirmant aliqui, alij negant. Non malè concordari opinionones in speciem contrariæ possunt, si dicatur, quòd debeat esse continuum moraliter, ita, ut conjuges præsumpti saltem possitima ex parte & ita sibi cohabitent, ut civiliter cohabitasse sibi continuo dici possint; non autem physicè, quasi necessarium sit, ut diu noctique per triennium illud semper cohabitent. Ita Sanch. l. 7. de Matr. D. 111. n. 2. Gutier. c. 121. de Matr. n. 7. Conink D. 31. n. 83. fin. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 10. n. 5. Gonzal. in c. 5. b. tit. n. 8. Barbof. ibid. n. 8. Pirhing hic n. 17. fin. Wiestner ibid. n. 57. Quòd moraliter saltem continuum esse debeat, apertè habetur ex c. fin. b. tit. ibi, Per continuum triennium. Quòd autem non requiratur, ut sit continuum physicè, probat ratio; quia, ut per triennium censeantur cohabitasse, sufficit, si utantur Matrimonio præsumpto eà frequentia, quâ alij conjuges Matrimonio uti communiter solent.

88 Quare cohabitatio illorum, & experientia non censebitur interrupta, etsi peregrinationis, aut alterius negotij causâ unus ab altero aliquot diebus, imò hebdomadis, & uno, alteròve mense abfuerit, vel propter infirmitatem, aut aliud Impedimentum tanto tempore ab usu Matrimonij abstinuerit. Neque id tempus suppleri debet, si breve sit; secus, si prudentis judicio sit notabile, ita, ut moraliter loquendo non censeatur plena triennij experientia. Sanch. D. 111. cit. n. 6. qui addit, minorem absentiam fat esse, quando est simul, quàm quando est interpolatè. Hinc casu, quo sex mensium absentia continua fuit, dicit illos supplendos; contrà supplendos negat dies, quibus interpolatè unus ab altero abfuit, etiamsi dies illi absentia simul computati eorundem sex mensium summam conficerent; quia hoc casu praxis interpretatur, non esse notabilem absentiam, quæ sufficiat, ut negari possit, morali modo loquendi completum esse triennium.

89 Quæritur 9. Quid observandum sit circa Juramentum, quod n. 79. & 83. dixi, imponi debere tum conjugibus, quorum unus, vel uterque proclamat contra Matrimonium à se ininitum, ex causa impotentia, tum propinquis, aut vicinis, qui pro confirmatione hoc casu adducuntur? R. Hæc advertenda.

1. Juramentum istud præstari debet tactis Evangelijs, vel, ut consuetudo plerumque habet, super Cruce c. laudabilem 5. b. tit. Abb. ibid. n. 3. Alex. de Nevo n. 4. Covar. in c. quamvis pactum p. 1. §. 1. n. 2. ad

fin. Sanch. l. 7. de Matr. D. 108. n. 14. Pirhing hic n. 17.

2. Consanguinei, qui simul jurant, debent esse septem: & quidem, si uterque conjux fateatur Impedimentum Impotentia, septem esse debent ex utraque parte, adeoque quatuordecim, ut notat Innoc. in c. 5. cit. pr. Alex. de Nevo ibid. n. 6. Sylv. V. divorcium q. 18. n. 21. Sanchez D. 108. n. 11. Pirh. n. 17. not. 3.

3. Si tot consanguinei haberi nequeant, adhiberi debent totidem vicini bonæ famæ: si neque tot vicini haberi possunt, sufficiunt pauciores arbitrio Judicis: si desint consanguinei, & vicini, assumi debent alij testes bonæ famæ, & omni exceptione majores. Sanch. n. 11. & duob. seqq. Pirhing l. cit.

4. Conjuges emittere debent Juramentum de certa scientia, nempe quòd bona fide, & absque dolo per triennium operam dederint copulæ, nec consummare potuerint; at consanguinei de sola credulitate jurare debent, nempe quòd verisimiliter existiment, conjuges verum dicere. Gloss. in c. 5. cit. V. uterque, Sanch. n. 15. Pirhing l. cit. not. 4. Ratio differentia est, quia ipsis conjugibus constare potest, se non potuisse consummare Matrimonium, non item consanguineis.

5. Ex hoc sequitur, quòd etsi postea vir, qui dicebatur esse impotens, dissoluto Matrimonio, reperiatur non esse impotens, propterea consanguineos non esse censendos reos perjurij; quia non de certa scientia, sed de sola credulitate jurarunt. Unde cum in c. laudabilem cit. dicitur indefinire, eos, qui jurarunt, reos esse perjurij, id intelligi debet de solis conjugibus viro, & uxore, non de consanguineis compurgatoribus, si bona fide jurarunt. Gloss. in c. cit. V. hi qui, Innoc. ibid. fin. Joan. Andr. n. 10. Ant. de Butrio fin. Alex. de Nevo n. 13. Sanch. n. 17. Pirhing not. 4. cit.

Quæritur 10. Quid faciendum, si is, ob cujus impotentiam dissolutum est Matrimonium, deinde aliud ineat? R. Hic distinguendum est, an ob Impotentiam absolutam dissolutum Ecclesie judicio sit Matrimonium, an ob respectivam. Si ob respectivam, qualis plerumque solet esse, quæ orta est ex maleficio, rectè ininitur novum Matrimonium: neque postea, si sublato maleficio, reddita sit potentia ad copulam cum priori, propterea rescindentur nuptia cum alia persona inita; nam cum legitime facta sit separatio propter materia inhabilitatem perpetuam, licet postea habitas per miraculum, vel alio modo praternaturali sit restituta, non propterea vitiatum Matrimonium posterius, aut convalescit Matrimonium prius invalidum. Zæf. hic n. 13. Imò, ut idem Zæf. n. seq. notat, licet se-

parati cum alia non contraxerint, sublato postea maleficio, non possunt compelli ad novam conjunctionem, cum ab initio inter eos vinculum nullum fuerit.

93 Si verò Matrimonium iudicio Ecclesie dissolutum est ob Impotentiam absolutam, e. g. frigiditatem, si postea Impotens declaratus aliud Matrimonium ineat, ita contrahens imprimis erit reus perjurij, ut expresse dicitur *c. laudabilem s. & c. fin. h. tit.* & constat etiam ex *c. accepisti i. pr. eod.* ibi: *Et nunc primum dixisti, te esse frigida natura, ita, ut non potuisses coire cum illa, nec cum alia aliqua.* Ratio est, quia frigiditas infert Impotentiam absolutam: adeoque si postea Matrimonium contrahat cum alia persona, censetur ex odio, & mala fide negasse potentiam, ut dissolutionem Matrimonij prioris obtineat. Estque præsumptio hæc Juris, & de Jure, contra quam non admittitur probatio in contrarium. Gloss. in *can. requisisti 2. V. patet caus. 33. q. 1.* Sanch. l. 7. de Matr. D. 108, n. 18. fin. Pirhing hic n. 18. Schambog. *ibid.* n. 15.

94 Præterea hoc casu Matrimonium posterius statim est dissolvendum absque alia probatione. Joan. Andr. in *c. 5. h. tit. n. 8.* Alex. de Nevo *ibid.* n. 15. § 16. Sanch. l. 7. de Matr. D. 99, n. 6. Pirhing n. 19. Ratio est, quia cum vir ille per sententiam Ecclesie sit declaratus frigidus, præsumptio inhabilitatis ad Matrimonium stat contra ipsum. *Proceditque hoc*, sive sit verè frigidus, sive non; nam si verè est frigidus, Matrimonium secundum est invalidum propter Impedimentum frigiditatis: si autem non est frigidus, obstabit prius Matrimonium, quod per falsam probationem frigiditatis est dissolutum. Sanch. l. cit. ubi addit, si tempore, quo frigidus iste ad alias nuptias transiit, prior uxor objerat, nihilominus tamen statim separandum esse à posteriore Matrimonio, donec prober, se potentem esse, & Ecclesiam fuisse deceptam; quia interim præsumptio Impotentiae stat contra ipsum.

95 Quæritur II. Quid agendum, si is, ob cujus Impotentiam dissolutum est Matrimonium, postea appareat fuisse potens? R. Hoc casu Regulæ instar est, quòd Matrimonium ex hoc capite dissolutum restauraridebeat, & reddi conjux priori marito, etsi hæc cum secundo jam contraxisset novas nuptias. Conink D. 31. n. 84. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11, n. 5. §. quodsi, Vivian. in *c. accepisti i. h. tit. pr.* Barbos. in *c. fraternitatis 6. eod. §. quamvis igitur*, Vallens. hic n. 6. Zoel. n. 15. Honor n. 17. König n. 16. Resp. 2. Reiffenstuel n. 56. & statutum est *c. fraternitatis cit.* Ratio est, quia tali casu Ecclesia fuit decepta, & sententia, ab ea contra Matrimonij valorem lata, processit ex errore.

96 *Proceditque hoc 1.* Sive ex Matrimonio cum alia contracto, & consummato, si

ve ex fornicatione cum tali commissa compariatur esse potens; nam utroque casu, si tanquam impotens absolute per sententiam Ecclesie declaratus est, restituendus est priori conjugi, & redintegrandum cum ipso Matrimonium. Poterit tamen hoc casu conjux innocens fornicarij conjugis, qui ob impotentiam propriam absolutam ab ipso est separatus, & postea non sine scelere se alteri copulavit, cohabitationem & congressum jure respuere, sicut habetur *c. fraternitatis 6. h. tit.* & docet *ibid.* Abb. n. 7. Sanch. l. 7. D. 101, n. 3. Laym. l. 5, tr. 10, p. 4. c. 11, n. 5. §. quodsi, König hic n. 16. Resp. 1. Rationem dat Sanchez; quia conjux ille impotens eo ipso, quòd copulam attemptaverit, quasi potentiam suam experiri volens, necessariò consensum præstitit Matrimonij injuriæ, quæ ex illius copulæ consummatione confurgere poterat; ex illa enim verificabatur prioris Matrimonij valor, ac proinde adulterij injuria.

Procedit 2. Ex quacunque causa præterita fuerit Impotentia perpetua, & propterea dissolutum sit Matrimonium, ut de famina separata à viro suo ratione arctitudinis constat ex *c. fraternitatis cit. §. nos tamen*, ubi postea nubens alteri, & ab hoc cognita, ab isto separata, jubetur redire ad maritum priorem, & cum hoc Matrimonium restaurare, si posterior maritus priori similis fuit: quod antequam restauratio prioris Matrimonij fiat, diligenter est inquirendum, Gutier. c. 115, de Matr. n. 4. Idem dicendum, si dissolutio facta est ob maleficium: ubi tamen est distinguendum, an facta illa sit ex causa, quòd maleficium sit universale respectu omnium, an verò, quòd solum sit particulare respectu unius, vel alterius, si primum, & Maleficiatus, dissoluto per Ecclesiam priori Matrimonio, transiret ad aliud, idque consummaret, separandus esset, & instaurandum prius Matrimonium; quia apparet Ecclesiam fuisse deceptam, quæ judicavit Impotentiam esse perpetuam, quæ apparet jam esse temporalis. Si secundum, Matrimonium prius nequaquam est restaurandum, sed utrique conjugi danda licentia transeundi ad alias nuptias; quia restauratio prioris solum est facienda, quando dissolutio Matrimonij ob impotentiam facta est ex errore, qualis hoc casu nullus probatur. Probaretur autem, si ita separatus animo fornicariò cognovisset illam, à qua separatus est: & hinc eo casu restauratio haberet locum; quia jam apparet nullum fuisse impedimentum, Gutier. l. cit. n. 7. § 8. Gonzal. in *c. 5. h. tit. n. 8.*

Procedit 3. Etiam si decendium à sententia dissolutionis lata sit lapsum, nec interea appellatum; quia sententia lata ex errore, præsertim contra Matrimonium, in rem judicatam non transit, *c. lator 7. de sent. re jud. conf.* quodocunque apparet, quòd

quod sententia, contra illud lata, ex errore processerit, retractari non solum potest, sed etiam debet juxta dicta libr. 2. Tit. 27. n. 64. Dixi, Quando apparet, quod sententia ex errore processerit; nam si nullus probatur error in Sententia, illa non retractatur, nec Matrimonium per eam dissolutum restituitur. Atque hinc solvitur, quod

99 Queritur 12. Quibus casibus Matrimonium ob Impotentiam dissolutum non restitueretur, etsi postea is, ob cujus impotentiam dissolutio facta est, reperitur potens? R. Communiter quinque casus à DD. assignantur. 1. Si Impotentia, quæ revera erat perpetua, sublata fuit miraculo; quia tunc Matrimonium, cum illa Impotentia contractum, fuit invalidum. Sot. in 4. dist. 34. q. 1m. art. 3. Sanch. l. 7. de Matr. D. 94. n. 10. Conink D. 31. n. 85. Laym. l. 5. tr. 10. p. 4. c. 11. n. 2. Honor. hic n. 17. Engl. n. 6. § 7. Wiestner n. 59. Reiffenstuel n. 57. Secus est, si sublata illa sit per Exorcismos Ecclesiæ, orationes conjugum, & eorum ad DEUM conversionem per Confessionem, & alia pia exercitia; quia cum hic effectus soleat sæpe hujusmodi causis à DEO concedi, utpote ad hunc finem ab eo, & Ecclesiæ ordinatis, non dicitur miraculosus, sicut nec obtentio gratiæ per Sacramenta, & Orationes. Sanch. n. 10. Conink n. 85. Laym. n. 1. Barbof. in c. 5. h. tit. n. 5. Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 2. n. 160.

100 2. Si eadem Impotentia perpetua sublata fuit per artem Magicam; nam adhuc Matrimonium, cum illa contractum, effectum caret, quippe cum perpetua Impotentia dicatur omnis illa, quæ per ordinaria, & licita media non potest tolli. Sanch. n. 11. Laym. n. 2. cum alijs supra.

3. Si Impotentia fuit respectiva solum; nam etiam ista perpetua esse potest. Sanch. D. 99. n. 18. Pont. l. 7. D. 64. n. 3. Conink n. 84. Barbof. in c. 6. n. 4. §. quamvis igitur. Zeef. hic n. 15. Pirhing n. 26. fin. König n. 16. resp. 2. Reiffenstuel n. 59.

4. Si Impotentia provenit ex maleficio; quia hæc sæpe respectiva duntaxat est: unde donec probetur temporaneam tantum illam fuisse, non restaurabitur Matrimonium prius dissolutum. Sanch. D. 99. n. 22.

5. Si mulier, ob arctationem separata, est professæ Religionem, & vir aliam duxit; tunc enim sustinendum est Matrimonium secundum, licet comperiat arctationem non fuisse perpetuam. Barbof. in c. 6. cit. n. 16. Ratio est, quia primum non fuit consummatum; cons. dissolutum, subsequente Professione.

101 Queritur 13. Quid requiratur, ut Matrimonium, quod Ecclesiæ autoritate ob impotentiam est dissolutum, restauretur? R. Duo requiruntur. Unum, ut allegata sit Impotentia perpetua absoluta; nam si re-

spectiva solum, antequam restituitur priori viro uxor ob impotentiam separata, attentè examinandum est, & inspiciendum, an secundus vir sit priori omnino similis ætate, robore, ac membro virili; nam si dissimilis in aliquo existat, non est priori viro reddenda. Ratio est, quia non est instaurandum prius Matrimonium, nisi constet Ecclesiam fuisse deceptam, judicando de perpetuitate Impotentiae. atqui ex copula cum alijs personis nequit constare, respectivam illam impotentiam non fuisse perpetuam, ergo &c. Secus, si dissimilitudo probata non fuerit; nam eo casu, præsumitur esse priori similis, & cons. potuisse à priore cognosci, prout traditur c. fraternitatis 6. h. tit. ibi, Sententiam divortij per errorem, licet probabilem, novimus esse prolatam, cum pateat ex post facto, quod ipsa cognoscibilis erat illi, cujus simili commiscetur. Palao tr. 28. D. 4. p. 14. §. 1. n. 12. Et hoc multo magis verum est, si se commiscuisset cum illa, à qua fuit separatus tanquam impotens, quippe cum ex subsequenti copula manifestè constet, impotentiam respectivam temporalem solum fuisse. König hic n. 16. resp. 2. Quod si non constet Impotentiam fuisse respectivam, & impotens post separationem reperitur potens, præsumitur Impotentiam fuisse temporalem, & restauratur prius Matrimonium, ut conjuges per triennium iterum probent: secundo autem separatus nunquam restituitur. Conink D. 31. n. 84.

Alterum, ut potentia in eo, qui impotens habebatur, sit legitime probata. Sanch. l. 7. de Matr. D. 99. n. 7. § 8. Gutier. c. 115. n. 9. Pirhing hic n. 19. in fin. Ex quo sequitur, ad instaurandum ejusmodi Matrimonium non sufficere, nec requiri, ut frigidus, seu ex alio capite habitus pro impotente, transferat ad alias nuptias; non requiritur; quia potentia aliunde probari potest, & undecunque probetur, pronuntiandum erit pro Matrimonio dissolutum, ut restauretur: non sufficit; quia sicut primum Matrimonium defacto contraxit impotens, ita etiam potest secundum contrahere, neque ex eo, quod secundum contraxerit, potens esse præsumi poterit. Unde necessarium erit eo casu probare, quod posterius Matrimonium consummaverit, aut aliàs fornicatus fuerit: imò etiam hoc probato, non tamen propterea statim præsumendum est prius Matrimonium ratum, & malè separatum fuisse, cum ob disparitatem virorum potuerit esse vera impotentia respectu prioris, non item posterioris. Et hinc antequam probetur dissimilitudo istorum, restaurari Matrimonium non debet. Sanch. l. cit. n. 19.

102 Queritur 14. Quid facere debeat alter conjux, ob cujus Impotentiam dissolutum est Matrimonium? R. Judex, dissolutum Matrimonio, debet, quantum potest,

test, illum inducere ad ingrediendam Religionem, & servandam perpetuam continentiam, ut constat ex *c. fraternitatis 6. pr. h. tit.* Alex. de Nevo *ibid. n. 8.* Canif. *n.*

2. Pirhing *hic n. 24.* quia Matrimonij vinculum, si quod fortè subest, eo ipso dissolvitur, & sic nullum periculum imminet alteri conjugi, si aliud Matrimonium ineat.

TITULUS XVI.

De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesie.

Explicavimus hætenus Impedimenta Matrimonij dirimentia, & aliqua etiam Impedientia. Superfunt ex ultimis istis tria, quæ hoc Titulo examinanda restant,

videlicet Interdictum Ecclesie, Tempus Feriatum, & Crimen. Subjungentur aliqua de Dispensatione Impedimentorum.

§. I.

De Interdicto, seu Venio Ecclesie.

S U M M A R I U M.

1. Quot modis dicatur Matrimonium contrahi contra Interdictum Ecclesie?
2. Quibus ex causis interdicti illud possit?
3. A quo Superiore?
4. 5. 6. An etiam à Parocho?
7. Sub qua culpa obliget hæc prohibitio?
8. An validum sit Matrimonium, contractum contra prohibitionem?
9. 10. 11. Maxime Summi Pontificis?
12. 13. 14. 15. Aut alterius Superioris, dum

lis, vel appellatio super Matrimonio prius contracto pendet?

16. 17. &c. An Interdicti Ecclesie nomine hic etiam veniat Interdictum Ecclesiasticum, quatenus illud Censura est?
21. An valeat Matrimonium, ab Excommunicato, vel cum Excommunicato contractum?
22. &c. Quomodo peccet Excommunicatus contrahens Matrimonium, vel cum eo contrahens?

QUæritur 1. Quot modis dicatur Matrimonium contrahi contra Interdictum Ecclesie? *R.* Duobus modis. 1. *Generaliter*: & hoc sensu contra Interdictum Ecclesie Matrimonium celebratum dicitur omne illud, quod celebratum est contra præscriptum Sanctionum Ecclesiasticarum, & vel maximè, si hoc fiat cum Impedimento Dirimente. 2. *In specie*. & tum contra Interdictum Ecclesie contrahi Matrimonium dicitur, quod initur à personis, quibus ejusdem contractus à Legitimo Superiore ex justa aliqua causa est interdictus. *Wagnerck ad Rubr. h. tit. not. 1.* *Engl. hic §. 1. n.*
3. *Pirhing n. 1.* *König n. 2.* *Wiestner n. 2.* In hoc secundo sensu acceptum Interdictum constituit speciale Impedimentum, non Dirimens, sed impediens Matrimonium: & definitur, quòd sit *specialis prohibitio, quæ Matrimonium auctoritate Ecclesiastica quibusdam personis ex causa legitima redditur illicitum.* *Magnif. P. Schmier p. 3. de Matr. c. 1. n. 76.*

2 *Dubium* esse potest, quænam sint causæ, ob quas à Superiore interdicti Matrimonium possit? *R.* Sunt tres præcipuè. 1. Si alter eorum, qui Matrimonium volunt contrahere, ligetur Sponsalibus, cum alia prius initis; nam hæc sine gravi causa violari non possunt. 2. Si non vana sit suspicio latentis Impedimenti, conjugium inter ipsos impediens, vel etiam dirimentis,

3. Si ex futura talium personarum conjunctione timeantur graves rixæ, inimicitie, scandala, aliæve incommoda *c. fin. §. cum autem de clandest. despons. c. littere 1. & c. seq. h. tit.*

QUæritur 2. Quis Superior ex hujusmodi causis interdiceret Matrimonium possit? *Certum est 1.* Quòd hoc possit Papa; quia hic est supremus omnium per totum Orbem Christianorum Pastor, & Judex. *Certum est 2.* Idem posse Episcopum respectu suæ Diocesis, & quemvis alium Prælatum Ecclesiasticum, si is in certi territorij Clerum, & populum Jurisdictionem quasi Episcopalem obtineat. *Certum est 3.* Eandem potestatem competere Capitulo Sede vacante, & istius, aut etiam Episcopi Vicario in Spiritualibus Generali.

Dubium est, an Matrimonium interdiceret Sponsis possit proprius ipsorum Parochus? *Quidam cum Goffred. in Rubr. h. tit. n. 1.* & *Angel. V. Matrimonium 3. Imped. 1. n. un.* id soli Judici Ecclesiastico tribuunt, cujus est de causis Matrimonialibus cognoscere. *Rationem dant*; quia tale Interdictum fieri non potest sine causæ cognitione, atqui cognitio causarum Matrimonialium non ad Parochos, aut ipsos etiam Decanos, & Archidiaconos spectat, sed ad solum Judicem Ecclesiasticum *c. ex litteris 1. de Consang. & Affinit. junct. Gloss. V. potestatem, & Trid. sess. 24. c. 20. y. ad hæc. de reform.* *Sed*